Dissertatio

de

Orosii historici fontibus et auctoritate,

et altera

de Antonii Raudensis aliquo opere ineditio

cum

Hilarii carmine in natalem Machabaeorum Matris

auctore

Georgio Friderico Henrico Beck.

Gothae

Hennings et Hopf.

1834.

Dissertatio

de

Orosii historici fontibus et auctoritate,

et altera

de Antonii Raudensis aliquo opere inedito,

cum

Hilarii carmine in natalem Machabaeorum Matris

auctore

Georgio Friderico Henrico Beck,

Philos. Doctore, ling. angl. et francogall. in schola Goth. futuris mercatoribus erudiendis praeceptore et Societatis Mineralogicae Jenens. Sodali.

Gothae

Hennings et Hopf.

1834.

ERFORDIAE
TYPIS HENNINGS & HOPF.
1834.

PARENTIBUS SACRUM.

§. 1.

De Orosio historico.

Cum in omni historiae studio necessarium sit, sano sobrioque iudicio examinare fontes, unde nostra profluat cognitio, tum in antiquae historiae exploratione habendum est omnium longe princeps. Quam pauca enim et brevia sunt illa temporum spatia, quorum historiam satis certam atque ab luculentis auctoribus traditam benigna sors ad nos transmisit! Contemplare, ut uno exemplo defungamur, historiam Graecam! Origines Graeciae quis auctorum servatorum ita narravit, ut satisfacere possit legentibus et plenam praebere cognitionem? Nemo: ex multis scriptoribus iisque perquam diversis res antiquissimorum temporum concinnandae sunt: quod quam variis modis fuerit institutum, quantae inde coortae inter Viros Doctos lites, quanta dissidia, certamina quanta, apud omnes constat. Porro habemus Persica tempora, quae facunde illustravit historiae pater: sed quantuli illa spatii? viginti circiter annorum: at quid? ne hi quidem ab omni doctorum dubitatione liberi: conferas cum Herodoto Ctesiam et pendentem ex eo Diodorum, denique clarissimum Herodoti obtrectatorem, Plutarchum in libro, cui titulus est: de malignitate Herodoti. Sequitur, quam Graeci vocant, *πενταχονταετηρίς*: nullus exstat eius scriptor: ita factum est, ut nuper vir inter nostrates historiae graecae arbiter facile princeps operam se dignam arbitraretur, testimonia et indicia lacera ac dispersa colligere, disponere et imaginem eius temporis concinnare. Bellum

Peloponnesiacum, inquit Thucydides, prae ceteris; quae gessit Graecia, omnibus memorabile est, ob copiarum, quae dimicarunt, multitudinem; ob partium, quae pugnabant, cultum et artes; ob fortunae vicissitudines; ob gravem rebus Graecis eventum et fractam principum olim civitatium potentiam; pro nostro consilio addimus: non minus id bellum esse memorabile, quod nactum sit ἱστοριογράφον ab omni parte consummatissimum, quem non dubites praeferre omnibus et antiquis et hodiernis. Insequentia tempora qui plene satis et continua serie narret, post Xenophontem non habemus: tam multi enim detecti sunt in Diodoro errores, ut non nisi maxima cautione in partes vocari possit. Quod si igitur discesseris ab Alexandri Magni rebus, omnis historia post Xenophontem e variis et longe nonnunquam dissitis fontibus, critica arte adhibita, haurienda est. Quid igitur, quaeso, gravius, quid magis necessarium, quid prius, quam examinare fontes cujusque scriptoris, quam explorare fidem, quam expendere auctoritatem? Et docuerunt exempla Heynii, Heerenii et aliorum, quae ex eiusmodi quaestionibus redundet utilitas, dum disquirebant de fontibus Diodori, Plutarchi, Strabonis cett., alii autem de aliis scriptoribus, in quorum numero nondum invenio Orosium, non indignum, ut opinor, cujus fontes et auctoritatem brevi scriptione indagemus: sunt enim, quae omnium historicorum is solus ex antiquitate ad nos transmisit: quorum fides alio modo constitui non poterit, quam si in universum de scriptoris fide quaeramus.

§. 2.

De Orosii in scribendis historiarum libris consilio.

Res gestas si contemplamur ipsas, non imaginem earum in historicorum scriptis expressam, facile videmus tantam esse in quoque fere gesto rerum singularum multitudinem et varietatem, ut eorum, quae narranda sint, quae omittenda, delectus habendus sit diligentissime: necessarium autem esse, ut is delectus aliter plane fiat ab aliis, pro judicii et sententiarum diversitate: sic in terrae alicujus vel adeo mundi, quam dicunt, historia alia aliis

gravia videri et digna, quae commemorentur et expendantur. Quare si sobriam historiae crisin adhibere velimus, aute omnia quaeri debet, quo consilio quisque scripserit, ut inde primum tractatorum et omissorum ratio constet, deinde detegatur, quae auxisse et exaggerasse censendus sit et quae recte credatur imminuisse.

Orosius, Tarraconse presbyter, a C. 413 ab Eutropio et Paulo, Hispaniae episcopis, missus est in Africam ad S. Augustinum, cujus sententiam de haereticorum quibusdam Hispaniensium erroribus exquireret. Quid senserit de eo Augustinus, expressit in Ep. 166 (de ratione animae ad Hieron.) eum dicens vigilem ingenio, paratum eloquio, flagrantem studio; simul vidit, eum his animi virtutibus Christianorum rebus egregie consulere posse et ad scribendam historiam exhortatus est. Rem ita narrat Orosius: „Praeceperas mihi, ut scriberem adversus vaniloquam pravitatem eorum, qui alieni a civitate dei ex locorum agrestium compitis et pagis pagani vocantur, sive gentiles; qui terrena sapiunt: qui, cum futura non quaerant, praeterita autem aut obliviscantur, aut nesciant, praesentia tantum tempora veluti malis extra solitum infestissima, ob hoc solum, quod creditur Christus et colitur Deus, idola autem minus coluntur, infamant; praeceperas ergo, ut ex omnibus, qui haberi ad praesens possunt, historiarum atque annalium fastis, quaecunque aut bellis gravia, aut corrupta morbis, aut fame tristia, aut terrarum motibus terribilia, aut inundationibus aquarum insolita, aut eruptionibus ignium metuenda, aut ictibus fulminum plagisque grandinum saeva, vel etiam parricidiis flagitiisque misera, per transacta retro secula reperissem, ordinato breviter voluminis textu explicarem.“ (cf. praef. ad libr. III et VII. 43 fin.). Quibus verbis perspicue satis expressit quae in historiam suam esset recepturus; jam videmus exclusam esse omnem pacis felicitatem, omnem temporum tranquillitatem, nonnisi gravia et terribilia ob oculos poni. Magis hoc apparebit singula persequentibus. In exordio Graecorum Romanorumque scriptores vituperat, quod ab Nino historias suas inceperint, omittentes 3184 annos ab Adam ad Abraam, quem Nino aequalem habent; tum de se pergit: „Dicturus igitur ab Orbe condito usque ad Urbem conditam, dehinc usque ad Caesaris principatum, nativitatemque Christi, ex quo sub potestate Urbis Orbis permansit imperium: vel etiam usque ad dies nostros, in quantum ad cognitionem vacare suffecero, conflictationes generis humani et veluti per diversas partes ardentem malis mun-

dum, face cupiditatis incensum, e specula ostentaturus, necessarium reor, ut primum ipsum terrarum orbem, quem inhabitat humanum genus, sicut est a majoribus trifariam distributus, deinde regionibus provinciisque determinatus; expediam: quo facilius cum locales bellorum morborumque clades ostentabuntur, studiosi quique non solum rerum ac temporum, sed etiam locorum scientiam consequantur." et in fine descriptionis terrarum: „Percensui breviter (ut potui) provincias et insulas orbis universi: nunc locales gentium singularum miserias, sicut ab initio incessabiliter exstiterunt, et qualiter quibusque exortae sunt, in quantum suffecero, proferam." Incipit igitur de diluvio, cui subiicit cruenta bella et tyrannidem Nini et Semiramidis; inde exustam Pentapolin sive exitium Sodomae et Gomorrhae. Fabulosa multa e Graeca mythologia et historia antiquissima, quae pro certis cepit; historia de fertilitate et fame Aegypti et insequentibus gestis Judaeorum. Inde Scytharum in Asia dominatio, bellum Troianum. Ne multa, Eusebium sive interpretem ejus Hieronymum in temporum serie secutus terribilia omnia, portentosa, incesta narrat, interiectis hic illic comparationibus et brevibus disputationibus, quibus lectores ad finem suum remittit.

§. 3.

Conspectus fontium Orosii.

Orosius ut consilium, quod superiore capite designavimus, exsequeretur, e celeberrimis rerum scriptoribus excerpsit, quae incepto suo faverent: ea vero omnia digessit ad Eusebii opus chronologicum, cujus interpretationem latinam ab Hieronymo, ipsi aequali sive potius paulo superiore, libro suo jam adhibere poterat. Vetustissima tempora ex Scriptura Sacra adumbravit, quibusdam Eusebii interjectis; nonnulla etiam e fabulis tetigit; inde historia mundi a Pompejo Trogo conscripta et a Justino in compendium redacta usus est: ipsum vero Pompeji opus integrum non inspexit, neque magis patronus ejus S. Augustinus, sed Justini epitomen, quam hodieque legimus: operis enim quatuor et quadraginta volumina complex

exempla jam tum, si non periisse, at perrara fuisse et librariorum operas non amplius exercuisse videntur. Ab Roma condita et in rebus Romanis Livius ei perpetuus erat dux: quod cum aliis rebus demonstrari potest, tum Julii Obsequentis, nonnunquam vel in verbis, consensu: is enim quam presse ubique Livium secutus fuerit, inter omnes constat. Orosii igitur narrationibus magnum illud damnum, quod tot Livii librorum interitu passi sumus, aliquo modo sarciri potest: et hoc non exiguam historiis Orosii conciliat dignitatem. Praeter Livium autem Eutropio quoque usus est, ita quidem, ut ubicunque hic magis grandia et terribilia narrat, eam hujus narrationem praetulerit: quod exemplis facile confirmatur et a Fabricio hic illic indicatum est e. c. p. 263; p. 267 p. 329 ed. Haverkamp. In Caesaris rebus ipsum Caesarem sibi ducem elegit. Sed in septimo libro, qui historiam ab initio imperatorum usque ad Orosii tempora continet, res tanta brevitate tractavit, ut in multitudine et parva discrepantia scriptorum ejus aetatis inveniri non possit, ex quo potissimum hauserit; praeterea horum temporum historia in mentibus quoque hominum adhuc paene recens haerebat: quare multa sine dubio e memoria scripsisse putandus est. Hinc factum est, ut in extremi libri fontes inquirere inutile iudicaverimus, idem valet de c. 20 — 22 lib. VI. In reliquo opere iam capita singula persecuturi sumus.

Liber I. 1. Euseb. Chr.
3. Scriptura Sacra.
4. Justin. 1.
5. Tacit. Hist. 5, 7 et Scriptura Sacra.
7. Euseb. Chr.
8. Justin. 36 et Script. Sacra.
9. Euseb. Chr.
10. Just. 36 et Script. Sacra.
11 — 13. e fabularum scriptoribus, qualis Hyginus et al., disposita secundum Eusebium.
14. Justin. 1.
15. Justin. 2.
17. Fabb. Scriptt.
18. Euseb. Chr.
19. Justin. 1.
20. probabiliter ex libro de origine gentis Romanae sive ex hujus ipsius fonte.
21. Justin. 3.

II. 2. 3. Euseb. Chr.
4. Liv. 1.

II. 5. Liv. 2.
6. Herod. 1.
7. Justin. 1.
8. Justin. 1 et 2.
9 — 11. Justin. 2.
12 — 13. Liv. 3.
14 — 18. Justin. 4 — 6.
19. Liv. 5.
III. 1. Justin. 5.
2. Justin. 6.
3. Euseb.
4. Liv. 7.
5 — 7. Liv. 7, in extremo c. Euseb.
8 — 10. Liv. 7 et 8.
11. Liv. 8.
12. Justin. 7 — 8.
13. 14. Justin. 9.
15. Liv. 8.
16. Justin. 11.
17. Justin. 11.
18 — 20. Justin. 12.
21. Liv. 10 ab ipso nominatus.
22. Liv. 10. 11.
23. Justin. 13 — 17.
IV. 1. Liv. 12 — 13.
2. Liv. 14.
3. Liv. 15.
4. Liv. 14.
5. Liv. 15. 16.
6. Justin. 18. 19. 21. 22.
7. Liv. 16.
8. Liv. 17 et 18.
9. Liv. 18 et 19.
10. Liv. 18.
11. Liv. 19.
12. Liv. 19 et 20.
13. Liv. 20.
14. Liv. 21.
15. Liv. 22.
16. Liv. 23 — 25.
17. Liv. 24 — 26.
18. Liv. 26. 27 et Eutrop. 28. 30. 33.
20. Liv. 31 — 44.
21. Liv. 48.
22. Liv. 49. 50.
23. Liv. 51.

V. 3. Liv. 52.
4. Liv. 52 — 55 coll. Jul. Obs. §. 20 (81).
5. Liv. 56. 57.
6. Liv. 56 coll. Jul. Obs. 23 (84) et sq., qui rem ut superiore anno actam narrat: quod quid valeat docuit Perizon. Anim. c. 8 p. 332 sqq.
7. Liv. 57. 59.
8. Liv. 58.
9. Liv. 58.
10. Liv. 59. coll. Jul. Obs. 27 (89).
11. 12. Liv. 60. Jul. Obs. 28 (90).
13. Liv. 60. 61.
14. Liv. 61. 62.
15. e Liv. 64, non e Sallustio. 65. 66.
16. Liv. 67. 68.
17. Liv. 69.
18. Liv. 71 — 76 coll. Obs. 53 (114);
19. Liv. 77 — 80. 83.
20. Liv. 85 — 87.
21. Liv. 88. 89.
22. Liv. 90.
23. Eutr. 6. Liv. 90 — 93.
24. Liv. 95 — 97.
VI. 1. Euseb.
2. Liv. 78. 81 — 3.
3. Liv. 93 — 95. 97. 98.
4. Liv. 99. 100.
5. Liv. 100 — 103.
7 — 11. Caesar de bello Gallico.
13. Liv. 106.
14. Liv., de quo vid. Fabric. p. 414.
15. Liv. 109 sqq. et Caes. de bell. civ.
16. Liv. et Hirtius.
18. Liv. 120. 127 alibi.
19. Liv. 122.

Jam de fide et auctoritate Orosii satis certum, opinor, judicium ferri potest. Chronologicarum rerum fides tota penes Eusebium est. Trogus Pompejus e rhetorum historicorum schola processit: res gestas non simpliciter narrat, sed magno affectu ac semper aliquas partes defendens ac sustinens, ut ille, quem imitatus est, Theopompus; accessit Justinus, qui nonnunquam et ipse vim rebus addendam esse judicavit; hujus narrationem tandem Orosius hic illic verbis auxit. Qua re efficitur, ut non falsa quidem habenda sint, quae hi viri narrant, sed magis minus aucta, minuta, elata aut depressa, neque ex sincera

veritate profecta. Livii auctoritas (fortasse ab antiquissimis temporibus discedendum est) incorrupta: vera igitur habenda, quae ab hoc sumpsit Orosius: sed caute ubique versandum est, quia, ut terrores et miserias temporum paganorum pro consilio tanquam ingentes describeret, narrationem hic illic verbis paulo magis exaggerabat, quam res ferebat: ac Livio ubique major quam Eutropio auctoritas tribuenda est. Caesaris fides ab Asinio Pollione hic illic merito in dubium vocata est, sed hae quaestiones ad Caesarem potius, quam ad Orosium rejiciendae sunt. Apparet igitur, in rerum gestarum narratione Orosium, ubi ab aliis veracioribus destituimur, pro fonte historiarum esse posse: sed ubique prudenter discernendum esse, Orosiine pro incepto suo interesse potuerit res augere aut imminuere, an non: unde judicium de quoque gesto, quod ab ipso servatum legimus, totum pendet. Saepe ipsa verba Justini ac Livii servavit; tam diligenter eos excerpsit, libros ipsos ob oculos habens: itaque, ubi consilium ejus, quod novimus, rebus non prope attingitur, secure fidem ei habere possumus: at ubi ab exaggerando vel imminuendo id, quod lectoribus suis persuadere cupit, aliquid virium accepturum esse videtur, ibi dubitationis locus est, ibi vel internis rationibus vel ex aliis fontibus de veritate quaerendum est.

§. 4.

Superest Geographiae brevis adumbratio (Cap. II.), quam in antecedenti capite praetermisimus, ut ad historias non pertinentem. In eo potissimum usus est Ptolemaei geographia, quacum nomina plurima conveniunt: siquidem in tanta corruptione et Ptolemaei et capitis hujus satis certa pronunciari possunt. Ab aliis geographis, Strabone, Plinio, Mela, saepe toto caelo differunt nomina, quae apud Orosium videmus. Erat cum spem conciperem fore ut melioribus Codd. adhibitis difficultates aliquot removere possem. Vir doctissimus enim, St. Croix in libro: Exam. critique des histoires d'Alexandre le Grand scripserat p. 122 „la bibliothèque nationale possède douze manuscrits d'Orose, qui serviraient beaucoup à corriger le texte de cet écrivain, encore très corrompu dans l'édition d'Havercamp.“ Itaque sedulo contuli eos codices in Bibl. Regia et alium insuper in bibl. St. Genovevae repositum: sed spes me fefellit: hi codd. ut plurimum cum Haverkampianis concinunt, ubi vero differunt, tam levis est differentia vel tam inutilis, ut textum inde

certo modo emendare non possis. Quid igitur? Ne inanem laborem suscipiamus, prius exspectanda est melior editio Ptolemaei, quam tanta in Geographicis doctrina, tanto apparatu molitur Krusius; deinde quaerendi alii fontes, praesertim geographi orientales, quia Orosius et in Asiae geographia paulo prolixior est, quam in ceteris terris, et plurima ibi prorsus ignota offert: denique perscrutandae sunt linguae orientales, quae saepe, ut speramus, explicationem eorum nominum praebebunt. Et hoc est, quod, cum patriae redditus fuero, tanquam studii, quod in orientalibus linguis posui, primum fructum, efficere tentabo. Quam leviter autem critici hoc caput tractaverint, ex uno exemplo satis apparet: p. 12 Hav. legitur promontorium in ostiis Gangis fluvii Caligardamna: corrigunt editores ex vett. edd. Calligicum vel ex Plinio Coliacum: cum tamen a Ptolemaeo ad Gangem oppidum commemoretur Calligas sive Calligeris; prope autem in insula Taprobane oppidum Dana: orientalia nomina, quibus Caligardamna s. Caligardana defendi poterit. Codd. Paris. plurimi: Caligardamana fortasse ex: Caligardamana cum punctis sub ma. Sed, ut dixi, haec in aliud tempus differo.

De Antonii Raudensis opere quodam inedito.

Parisiis cum commorarer, committere nolui, quin celeberrimum veterum Manuscriptorum thesaurum in bibliotheca Regia ex multis inde saeculis repositum vel fugitivo oculo perlustrarem. Sed ecce! non longe a principio Indicis nomen mihi occurrit, quod nunquam audiveram dicere: Antonii Raudensis. Operis inscriptio me impulit, ut ipsas membranas inspicerem: satis bona videbantur, quae legerentur, et digna, quae accurratius explorarentur. Primum igitur adii libros de scriptis ecclesiasticis, quos habemus, optimos et locupletissimos: sed nihil usquam annotatum vidi de Antonio aliquo Raudensi. Porro inspexi Lactantii, quippe cujus errores se notare profitebatur, editiones praecipuas: inveni etiam, qui lapsus ejus indicarent et corrigerent: sed Antonium nostrum cogni-

tum habebat nemo, etsi etiam aliud ejusdem, ut videtur, viri opusculum in eadem bibliotheca repereram, dictionarium de elegantiis latinae linguae. Inspexi denique Fabricii bibl. lat. med. et inf. aetatis Patav. 1754, qui solus omnium Antonii Raudensis facit mentionem I. 130. s. et quidem his verbis: Antonius Harena, Raudensis, Philippo Picinello in Athenaeo scriptorum Mediolanensium pag. 48 Antonius Rho', Mediolanensis, Ordinis Minorum, tenui loco natus, unde Albertus Sartianus ei dicavit opusculum, quod nihil nocet ad virtutem, humili loco nasci. Laurentii Vallae primum amicus, cui etiam in dialogis tribus de Voluptate vero Bono primas partes Valla tribuerat, deinde ejus indignationem incurrit, quod in scripto quodam Latinam eloquentiam professo visus esset Vallae elegantias contemsisse, illasque reprehendisse: itaque ad Joannem Lucinam Alphonsi Regis Secretarium edidit adnotationes in errores Antonii Raudensis, quae cum elegantiis saepe recusae, etiam in Operibus Vallae leguntur pag. 390. ss. Obiit Valla anno 1454. Raudensis hic idem est, qui Lactantio multos errores objecit, acriter eo nomine reprehensus ab Adamo Genuensi et Francisco Philelfo, ut notare me memini in libro de veritate Relig. p. 232. Scripsit etiam orationem in laudem Philippi Mediol. principis, quam Petrus Candidus Decembrius in multis arguit in libro VIII suarum epp., quae sane epistolae adhuc in MSS. latent. Vide Cardinalis Quirini Diatribam praeliminarem ad epp. Barbari p. 530. Praestat hic addere, quae de hoc Antonio scripsit Jo. Philippus Bergomas in supplemento chronicorum ad an. 1430. „Ant. Raud. natione Mediolanensis Ord. Minorum theologus clarissimus, et omnibus in disciplinis non mediocriter eruditus hac ipsa tempestate floruit, qui et ipse, ut in omnibus se doctum ostenderet, singulorum quorumcunque tam oratorum paganorumque theologorum opera fermè explanare voluit, et quam maxime Lactantium, virum doctissimum emendare tentavit, quod melius et dignitati, et religioni suae fuisset ab illiusmodi scribendi genere se continuisse, quam contra tantum virum doctissimum et disertissimum invehere. Eam ob rem quasdam invectivas contra se provocavit. Ad hunc rogatus Philelphus vir doctiss. literas dirigit commonefaciens ut Augustinum Patrem imitetur, quia et ille, etsi Sanctus et Sapientissimus fuisset, quae imprudenter erravit, tamen retractare curavit."

Ex his igitur videmus, virum quidem notum esse, sed scripta ejus nondum edita. Hanc ob causam mihi

proposui, ut unum ejus opus, maximum, ut videtur, accuratius explorarem et magis cognitum facerem. Sed age quid rei sit videamus. In tribus codd., quos inspexi, Nr. 1678 chart., Nrr. 1679. 1680*) membranaceis, opus illud hunc titulum prae se fert:

Fratris Antonii Raudensis theologi ad sanctissimum Papam, Eugenium quartum, de Lactantii erratis dialogi tres.

Eugenius hic Papa fuit ab anno 1431 ad 1447, quo tempore scriptum esse hos opus debet. In externa forma Antonius Ciceronem aperte imitatur: non superciliose docet, ut Stoicus aliquis, sed familiarem confabulationem inter amicos institutam fingit, cujus ratio in Praefatione, quam dabimus integram, luculenter describitur:

„Lactantii Firmiani divinas institutiones, Eugeni beatissime, cum propter dicendi summam illam elegantiam summamque suavitatem suam, ubi nulla prorsus affectata eloquentia, nulla sermonis praeparatio inesse percipitur, tum imprimis ob illius doctrinam gravissimam, qui Christi Jesu, veri dei nostri, causam adversus gentes pro sua virili portione tutari conatus est, et saepe et lubenter in manibus teneo, illas evolvo, illas volupe lectito. Pascuntur enim mirum in modum legentium aures; nutritur et animus, dum orationis splendorem et ornatum summamque (simul)**) gravitatem animadvertentes intelligunt. Tanta est enim apud illum virum loquendi facilitas, tanta humanarum divinarumque rerum et disciplina et eruditio, ut plerique omnes ex his, qui tempestate hac nostra eloquentiam profitentur novique Cicerones quidam praedicari gestiunt, cum illum degustaverint, sese ineptissimos (homines Cod. 1679) quosdam judicent et ab eloquentia exules omnino esse se sentiant, orationem suam utpote plebeam ac paene infantem damnent, illam vero summe probent, summe admirentur ac summis laudibus ad caelum tollant. Sed quis jamjam ille ita lectioni tametsi suavissimae aut scriptioni dedicatus est percupidus litterarum, ut non aliquando calamum ponat, oculos remittat et avocet***) ac per oblectamenta alia quaedam (modo ho-

---

*) Comparatione instituta intellexi, hunc esse meliorem ex his codicibus, eo igitur usus sum. Scriptus est quaternis, folia continens 149, lin. 33 in quavis pagina.

**) Hoc verbum in uno tantum codice legitur.

***) Cod. advocet.

nesta illa sint) recte illos recreet et ut dici solet pascat? Secesseram igitur, beatissime pater, relaxandi animi causa in hortulum meum quempiam, quasi in suburbanum rus, locum quidem apricum, amoenum et herbidum ac cellulae ipsi meae continentem, ubi pallebant violae, lilia candebant. Ibi feniculum, verbena, rosa, celidonia, rutha, isopus et ambrosia aliorumque olerum suave olentium et varietas et copia non deerat. Ibi laurus innuba et corili fragiles vitesque pampineae perpetuoque virens buxus. Ibi aequo limite partiebar areolas, quibus olerum diversa jactaveram semina, plantulas ibi vel minutissimas suavissimi spiritus ordine digerebam. Hoc in otio fugiebam otium mundique lascivientis illecebras ac vana desideria seorsum missa faciens, quibus otiosus ac paene languens animus persaepe quasi aranearum cassibus irretitur *), declinabam. Inter recreandum autem ex multis, quibus pro illorum humanitate familiariter**) utor, amantissimi duo, non expectato eorum adventu ne opinato quidem, (ostiolum enim meum libertate quadam omnibus patet) derepente ab oculos constitere, Nicolaus videlicet Archimboldus Candidusque Decembris, ambo viri gravissimi literatissimique, ille juris et humani et divini consultissimus suaque professione doctissimus, hic aeque literarum graecarum latinarumque eruditissimus, studiorum vel humanitatis ac reliquarum optimarum quarumcunque doctrinarum et artium ambo ipsi curiosissimi. Ubi salute accepta utrinque redditaque, Candidus ipse, quid circa areolas ipsas et oluscula agerem intuitus, (erat enim dies festus pentecostes) eleganttissime, uti semper assolet, inquit:

Quippe etiam festis quaedam exercere diebus,

ut ex negotio hoc tuo Raudensis elicio,

Fas et iura sinunt: rivos deducere nulla
Religio vetuit, segeti praetendere sepem,
Insidias avibus moliri, incendere vepres,
Balantumque gregem fluvio mersare salubri. ***)

Ego autem, hujusce otii non indoctus magisque hortuli, quam animi mei vitium esse sentiens, nihil ad id, verum, quae causa adventus, quid novi afferrent, unde digressi, percunctatus sum. Audivimus, ait Candidus statim, tui ordinis quempiam divi Francisci aedibus his sacris concio-

---

*) irreptitur Cod. 1680.
**) familiaritate. Cod. nost.
***) Virg. Georg. I. 268 — 72.

nantem; qui cum de spiritu sancto et admiranda et inscribenda memoriae multa dixisset, spiritum ipsum in apostolos, exactis jam multis annorum orbibus, demissum e caelo esse testatus est. Fatebor jam tibi ingenium meum: verba equidem exaudivi, rem quam diceret minime intellexi, aut eo fortasse, quia concionator ipse, uti multi ex tuis, imperitior aut, si eruditus, rem ipsam sane quidem ambagiosius expedire non poterat. Sunt enim, ut aiunt, qui recte imbuti recte sentiant, quod tamen intus habent, ut coram intelligantur, promere nequeant. Qui fieri enim potest, Raudensis, ut Hierosolymam spiritus ipse e caelo mittatur, qui ex antea Hierosolymis et ubique gentium praesens erat et semper est, aut qui terram tractusque maris caelumque profundum undique compleat, cui caelum sedes sit, terra autem subsellium pedum suorum, ad ea loca utpote peregrimus et incola novus adveniat. Spiritum domini complesse orbem terrarum, concionator ille collega, uti credo, unus ex tuis, principio sui sermonis exposuit. Quo pacto e caelo, rogo, apostolos ipse spiritus opplet, cum sint Jovis omnia plena, ac, quocunque vides, quocunque moveris, praesens ipse semper assistat. Virgilius noster*) hanc rem intelligebat, cum inquit:

Principio caelum ac terras, camposque liquentes,
Lucentemque globum lunae, titaniaque astra,
Spiritus intus alit: totamque infusa per artus
Mens agitat molem et magno se corpore miscet.

Suis adeo exhortationibus Seneca eandem amplectitur philosophiam: „Deus prope est, ait, tecum est, intus est. Ita dico, Lucili," spiritus sacer intra nos sedet, bonorum malorumque nostrorum observator et custos. Hic prout a nobis tractatur, ita nos ipse tractat. Tum Nicolaus: Argute quidem Candidus noster, etenim qui apud nos Insubres **) semper est et nobiscum vitam degit, ille is novus orator e caelo veniat nequaquam expectandus. Divus Hieronymus ubique gentium et locorum deum esse vel ipse testatur; Marcellam enim alloquens inquit: „divina quippe natura et dei sermo in partes secari non potest, nec loco dividi. Erat ergo uno eodemque tempore et cum apostolis quadraginta diebus et cum angelis et in patre et in extremis finibus maris erat. In omnibus lo-

*) Aen. VI. 724 — 7.

**) i. e. in agro Mediolanensi ad Padum flumen, ubi Rauda oppidum et Raudii campi, unde igitur oriundus est Antonius.

cis versabatur, cum Thoma in India, cum Petro Romae, cum Paulo in Illyrico, cum Tito in Creta, cum Andrea in Achaia, cum singulis apostolis et apostolicis viris in singulis cunctisque regionibus." Non tamen haec causa adventus nostri, ceterum visendi potius tui gratia, ut alias saepe convenimus, speramusque fore haud quaquam abs te hodie abituros, quin hac in re doctiores et instructiores abeamus. Inter loquendum autem librum, quem laeva manu tenebam, conspicatus Nicolaus, quisnam ille esset, sciscitabatur. Lactantium esse respondi. Hunc ille coepit cumulatissimis laudibus efferre, cui neque sententiarum gravissimarum nervi, neque splendor verborum ac dicendi mira suavitas summaque facilitas ulla ex parte deesset. Subrisit hic Candidus, eloquentiam tanti viri spectaretne an *) illam exigeret subambiguus atque certe, Nicolae, inquit, rectius veriusque dixisses, cui neque sententiarum errores desint, quibus paene totus liber ille suus scatet. Ego vero mirum in modum cupidus hosce perclarissimi ingenii viros de Lactantii doctrina magisque eloquentia simul disceptantes audivi. Nicolaus enim tutari illum pro sua virili parte pollicebatur, Candidus illum e regione refellere. Hoc hortulo est, inquiunt viri doctissimi, ut cernitis, buxus, arbor procera satis et patula ac frondibus perpetuo virentibus densa, sub qua loco herbido sedentes, modo lubeat, seu pullulis (jusseram enim illos afferri) solis aestum aut arcere aut temperare possimus. Videntes autem illi locum, dissertationi **) aptissimum commodissimumque, horam quoque non intempestam (necdum enim sol medium pulsabat olympum) e vestigio non minus loquendi ipsi cupidi, quam ego illos audiendi, tres una consedimus. Cum igitur tibi, beatissime pater, ut jam ad sanctitatem tuam orationem vertam, lites, contentiones, causas disceptationes, controversias cognoscere, decidere, componere, terminare tributum sit: ita, ut ab sententia tua, non enim superiorem habes, ad alterum provocare non liceat: dialogum hunc seu disceptationum***) libellum, quas ex his duobus praestantissimis viris exhausi, quasve, quoad memoria tenere potui, collegi conscripsique, sanctitati ipsi tuae inscribo

*) Ita scribendum esse sententia docet. Codd. ambo membr.: spectaret ne ante; compendium an librarios fefellit.

**) ambo codd. membr. disserationi.

***) Cod. disceptationem.

et consecro. Non enim res mihi digna visa est, qui fortasse nimium arrogans praedicarer, tam praeclarissimorum ingeniorum medius fierem aut tantas inter ipsos lites ipse componerem. Verum tu, Eugeni, beatissime pater, omnes mortales qua in recunque data judex sapientissimus inter hos disceptantes cognoscas ac boni consulas, dignissimus unus es. Nemo te praestantior, nemo sublimior, nemo aut auctoritate aut dignitate exsuperantior. Solus toti mundo non ab re, sed ipso jure praefectus es, nemo tibi, cui jura terreni ac caelestis imperii ab deo ipso decreta sunt, cur ita facis, dicere potest. Voluntate enim, neque id injuria, pro ratione uteris. Nam solutus es legibus, immo, quod tibi collubuerit, lex ipsa est. Hunc*) igitur libellum, qui**) ex sublimi suggestu illo majestatis tuae manibus tuis sanctis suscipiatur, dignum efficias oro et obsecro, congiarium quidem exiguum, sed mens tribuentis introspicienda, quae neque ex plebeja cohorte neque gregalis est. Atque de his per occupationes tuas jam satis et super. Nicolaus autem, ut ad institutum, unde discessimus, revertamur, ita farier infit." Inde uterque colloquentium suas partes sustinet, alter laudantis et defendentis, alter calide accusantis Lactantium, ita quidem, ut posterior argumentis vincat et adversarium tandem arguat. Nihil inter eos convenit, nisi laus tersae orationis, Ciceronis vere aemulae, quae tribuenda sit Lactantio: in reliquis plane differunt, donec argumentis alter ad alterius persuasionem propius adducatur. Licet inter se satis modeste et urbane agant, rem ipsam vehementius arripiunt et errores Laetantii acerbius taxant: quam superbus et mordax Candidus! Vide modo hanc ῥῆσιν, quam speciminis loco integram subnecto:

„Tum Candidus: Qua de cunque re data dicatur in medium, Nicolae, virorum doctissime, maximi semper judicium tuum sum arbitratus, quippe qui doctrinis multis et artibus ab ineunte adolescentia perbelle institutus evaseris, cui vel acre et perexcellens ingenium non invita Minerva semper affuerit, verum, pace tua dixerim, hoc loco in Lactantii laudibus ita te omnem effudisti, ut mihi non mediocre vitium esse videatur. Parcius itaque olim quaeso! Eloquentiam tamen ejusce viri, cum amicitia tua abuti non liceat, et ipse non probare

---

*) nunc cod. 1680.

**) quod cod. 1679.

non possum, quam multi eloquentissimi et doctissimi viri saepe probavere. Fuit unus imprimis, divus Hieronymus noster, quippe qui eum quasi fluvium quendam Tullianae eloquentiae videtur extollere, sed quem vellet tamen tam nostra affirmare scivisset, quam facile destruxit aliena. Sobrius attamen laudans illum vir ipse sapientissimus extitit, tu autem prodigus nimium et effusus. Lactantium enim, inquit ille ipse, propter eruditionem sic interdum legendum arbitror, quemadmodum Origenem, Arnobium et nonnullos ecclesiasticos scriptores graecos pariter et latinos, ut bona eorum eligamus, vitemus contraria, juxta apostolum dicentem: „Omnia probate; quod bonum est, tenete." Ait quoque: „Nec enim propter eruditionem ejus prava dogmata suscipienda sunt, nec propter dogmatum pravitatem, si quid boni in scripturis sacris edidit, penitus respuendum." Quis mihi interdicere potest, dicit, ne legam institutionum ejus libros, quibus contra gentes scripsit fortissime; qui de ira quoque dei et de opificio duo volumina edidit?" A'qui, Nicolae, nollem, ut loquacitatem quorundam oratorum facundiam existimares. Sunt etenim non numero, qui, nisi illos divi Hieronymi majestas deterreret, audentius fortasse dicerent, in Firmiano frequentem esse orationis inaequalitatem quae modo exilis, modo nimia *) licentia vaga et effusa esse videatur, principia illius et argumenta et narrationes saepe ex illo aride dici, in flosculis totum haerere et, dummodo splendeant, quae scribit, omnibus verbis suis permissam esse libertatem quandam: itaque fieri, ut florida quidem oratio illius sit, verum quae magis lasciva, quam felix esse judicetur; darent quoque sibi vitio, citato cursu illum et effuse proloqui, tantamque inesse illi sermonis velocitatem, ut qui calcaribus abutitur frenis indigeat **). Et quod de Acterio divus Augustinus dixit et nos de ipso quoque dicere possimus: Lactantius noster subflaminandus est, adeo non currere, sed decurrere videtur. Verum de eloquentia ejus jam satis et alio divertamus. Dicebas ipse statim: „nemo est illo viro gravior, luculentior, doctior, cujus ornatissima semper oratio ingentibus (credo gravibus dicere voluisti) plena sententiis." Non mihi succenseas, rogo, si jam et ipse e regione dixerim

---

*) cod. minima.

**) quod auctore Cicerone Isocratem de Theopompo dixisse constat.

idem, quod a principio, anteaquam hac subter arbore consederemus, exaudisti. Rectius nimirum, Nicolae, veriusque dixisses, cujus semper oratio ingentibus erroribus inspersa est, quibus paene totus liber ille suus scatet. Num animadvertis? quasi nihil esse firmum possit et solidum, dum argumentis vult argumenta firmare, errores erroribus insuat et innectat? Num percipis, quemadmodum vir ipse nimium de se sentiens omnes doctrinas, omnes artes, philosophias omnes irrideat? nunc Socratem carpat, Platonem incuset, Aristotelem mordeat, Ciceronem damnet atque illos enitatur evertere, quorum sententias gravissimas verissimasque non ducit in lucem, sed ex industria illas transmittit et praeterit? Si erratum vero minimum, quasi muscam aut pulicem, ut ita dixerim, apud illos offenderit, tunc pugil valentissimus adversus tam inexpugnabiles philosophos eo ipso praedicari et dicier hic est et gloriatur et studet? Quantusque in clipeum miles gloriosus assurgat, quo turbine torqueat hastam, sese jactabundus ostentet *)? In qua est tamen, ut in legibus suis ait Cicero, in omni re accusanda praetermissis bonis malorum enumeratio vitiorumque selectio. Porum ne exinde censueris, ut de omni mundo praesumat vir iste ferre sententiam et dicat: Hic belle loquitur, ille male; iste scripturas novit; ille delirat; iste loquax, ille infantissimus est. Qua coeli regione aut qua Platonis idea tam grandem fere omnium doctrinarum et artium supellectilem mutuatus est, ut de omnibus ad litigandum comparatior, quam ad intelligendum, solus judicet arbitreturque jure suo et quasi censoria virgula posse, quos voluerit ipse, e gymnasiis et bibliothecis eliminare et exigere. „Strepere, inquit Hieronymus, et congerere maledicta, non crimina, scurrarum est et paratorum semper ad lites.“ Nonne et nos, Nicolae, didicimus litteras et, ut Satyricus ait, saepe ferulae subduximus manum? Putavitne ipse Lactantius, quasi veteranus miles, uno rotatu gladii doctissimos quosque percutere et populis declarare, quod, quicquid ipse probaret refutaretque, id omnis philosophia, id omnis scriptura, quas nescius scire se credit, sentiret? **)

---

*) Cod. ostentat.

**) Eandem in dicendo protervitatem Nicolaus Candido in Dialogo II. bene exprobrat his verbis: „Hieronymus in Apologetico suo modestia ductus de Lactantio ita locutus est: Non consuevi illorum insultare erroribus, quorum miror ingenia.

Nimis longum foret, si universum operis satis ampli tenorem persequi velimus; illud bona fide affirmamus, ob vigorem, quo scriptum est, ob dictionis lumina et felicem saepe Ciceronis et Lactantii aemulationem, ob variam doctrinam suaviter affici lectorem, qui volumen e manibus non deponet nisi penitus perlectum. Sed accuratius definiendum est, quibus tandem armis Lactantium Antonius impugnet; quae tantum in modum ipsi videantur vituperanda. Catholicae confessionis dogmata non solum imbiberat Antonius, sed tanto ardore amplectebatur, ut quodcunque ab iis vel minimum abiret, statim pro errore, imo pro peccato et flagitio haberet. Ut uno exemplo defungamur: Lactantius lib. VI. pulchre ostenderat, nihil opus esse ad venerandum deum luminibus in ecclesia accensis: „Accendunt, inquit, deo lumina velut in tenebris agenti. Quodsi suspicari aut percipere animo possent, quae sint bona illa caelestia, quorum magnitudinem terreno adhuc corpore obvoluti capere non possumus, illa se cum his officiis inanibus stultissimos esse cognoscant; vel si caeleste lumen, quod dicimus solem contemplari velint, illa sentiant, quod non indigeat lucernis eorum deus, qui ipse in usum hominis tam claram, tam candidam lucem dedit.“ Et post pauca statim dicebat: „Num igitur mentis suae compos putandus est, qui auctori et datori luminis candelarum aut cereorum lumen offert pro munere? Aliud vero ille a nobis exigit lumen et quidem non fumidum, sed, ut ait poeta, liquidum aut clarum, mentis scilicet.“ At sacri sunt in catholico ritu cerei: catholici in sacra panegyri deum non celebrant nisi luminibus accensis; quid igitur Antonius? Sub nomine Candidi omnibus modis eum ritum defendere molitur ac primum memorat, Iudaeorum usum ab Iehova Mosi imperatum, deinde orientis ritum in veneratione Martyrum, tum mysticum inesse sensum docet: non enim aeris, sed animorum tenebras in ecclesià illuminari, denique populum ipsum, cujus mentes ab rebus visis pertrahantur ad res cogitatione suscipiendas, luminibus in ecclesia accensis edoceri numen invisum ecclesiam tanquam aedes proprias incolere. Compara hanc ratiocinationem cum eâ, quam dedit Lactantius: cupidam potius quam veram esse videbis. Quodcunque igitur catholicae confessioni aliqua-

---

Tu autem, mi Candide, pace tua dixerim, non ea qua consuesti modestia uteris, quando tam effrenis in illum tamque laxis habenis excurris.“

tenus adversatur vel minus convenit, in Lactantio vituperat et refutare nititur: primum quidem testimoniis ex Hieronymo et Augustino petitis, qui summa apud ipsum auctoritate fruuntur. Deinde nonnunquam philosophatur, sed sui temporis captum et morem satis cognitum non superat. Idem dicendum est de physicis problematis, quae nonnunquam diversus ab Lactantio persequitur. Quae ut eo magis pateant lectori et quid Antonii opus manuscriptum contineat jam cognoscatur, tabulam in tribus codd. a principio operis positam exscribamus, explicationes judiciumque nostrum, ubi necessarium putamus, subjungentes.

Dialogus primus.

Primus error, quando dicit, et quidem universaliter, fieri non [posse], quin omne, quod sit, aliquando esse coeperit.

Secundus error, quando ex praecedenti errore concludit, deum se ipsum genuisse et fecisse.

Alterum Scripturae sacrae testimoniis, alterum dialecticis rationibus repellit, facilibus repertu.

Tertius error, quando dicit, angelos non statim a mundi principio ad hominum tutelam esse decretos.

Apparet in hac re probabilibus tantum agi posse; contra Lactantium credit Antonius, antiquissima humani generis tempora tam pura, tam casta, tam felicia hac de causa fuisse, quod angelorum tutela tum fuisset efficacior. De qua quidem tantum in modum ei persuasum est, ut scribat: „non ipse quidem Antichristus, tametsi deo rebellis, scelestis et pertinax, ab angelo suo, quoad mortem obiret, ulla hora deseretur" cf. August. de civ. dei 15, a quo Lactantium indicto nomine refutari putat.

Quartus error, quando dicit, deum angelis praecepisse, ne terrae contagione macularentur.

Quintus error, quando dicit, diabolum angelos paulatim ad vitia pellexisse.

Sextus error, quando dicit, angelos dei mulierum congressibus inquinatos et filios genuisse.

Quas res et angelis et Deo indignas pronuntiat.

Septimus error, quando dicit, eos esse stultissimos, qui candelas et cereos in ecclesia succendunt.

De quo supra diximus.

Octavus error, quando dicit, non esse congruens, deum in nostrum adjutorium invocari debere.

Hic Antonius iniquissime cum Lactantio agere videtur: qui cum dixisset Jovis et Junonis i. e. juvantium deorum nomen satis exile et paene indignum deo, „qui non solum adjuvet, sed qui nos finxerit, animarit, illuminarit, qui nobis vitam impertiat, salutem tribuat, victum multiplicem ministret", Candidus longo locorum ex Sacra Sriptura et Patribus petitorum ordine demonstrat, Jesum et sanctos et homines a deo saepius petiisse, ut se adjuvet aut in adjutorium sibi veniat; debilem esse hominem et qui non possit in liberi arbitrii sui fortitudine et incorrupta fide ponere fiduciam: sed num haec adjumenta tanta sunt, ut ab iis potissimum trahere debeamus dei nomen? id quod recte negasse videtur Lactantius.

Tractatus incidens de animarum natura, conditione et statu.

In quo unice occupatur in recensione sententiarum, quas Philosophi ab artis origine usque ad Senecam de ea re protulerint: introductio ad sequentem errorem.

Nonus error, quando dicit, animas omnes coelo creatas esse.

In origine quidem totius mundi: et exspectare eas, dum in corpora deveniant. Quod vix cogitari posse respondet Candidus: quid enim videri possint per tot saecula egisse? Simul multorum philosophorum et patrum dogmata de ea re percenset, credens ipse „animas a deo ex integro creari et corporibus infundi."

Decimus error, quando dicit, coelum stelliferum esse supremum et esse sedem ipsius conditoris et ibi superos omnes habitare.

Undecimus error, quando dicit, deum posuisse solem et lunam in firmamento.

Quibus sententiis dogmata aliqua Patrum et physices

suae aetatis infantiam, praesertim Ptolemaei placita, opponit.

Duodecimus error, quando dicit, animam ex dei substantia esse decisam.

Tertius decimus error, quando dicit, deum infinitas animas seu infinitam multitudinem animarum a principio procreasse.

Utrumque enim neque cogitari posse, neque potuisse fieri. Talia recoquere nihil juvat, sed apud Antonium non injucunda sunt lectu.

Reprehendit Lactantius Ciceronem, quod dixerit, eum virum bonum esse, qui prosit, quibus possit, noceat nemini nisi lacessitus injuria. Sed ibi Cicero defenditur, Lactantius vero jure reprehenditur.

Lactantius egregie ac prorsus ex christianae religionis ingenio disputaverat contra illa verba „nisi lacessitus injuria," in eo solum falsus, quod Antonii triumviri et Philippicarum exemplo fuerat usus. At noster Antonius, cum deberet veram sententiam Lactantii paulo magis explicare ac definire, in cum longa dissertatione improbe invehitur: efficit enim inde, Lactantium censuisse ne sceleratos quidem adoriendos, neque noxios puniendos esse: vel Christum funiculis numerarios e templo ejecisse. Illud tamen recte animadvertisse judicandus est, siquidem paulo moderatius egisset justisque se continuisset finibus: discernendam esse personam publicam et res ad universos eorumque salutem pertinentes a persona privata ac rebus privatis: se ipsum ulcisci Christiano nomine indignum, scelera in rem publicam commissa cohibere ac punire justum et divina lege exemploque Christi imperatum: Ambrosium bene dicere: „Non in ferenda, sed in depellenda injuria lex virtutis est: qui enim non repellit a socio injuriam, si potest, tam est in vitio, quam ille, qui facit." Etiam errorem in Philippicarum commemoratione a Lactantio commissum bene ac docte notat.

Quartus decimus error, in philosophia, quando dicit, si antipodes essent, capita deorsum haberent, pedes vero sursum, et ubi vere sint antipodes ibi docetur.

Recte hic vim, quam physici dicunt centripedalem commemorans docet sane cogitari posse, ut antipodes habeamus; videri autem Indos Hispaniensibus esse antipodes. Hodie talia vel pueri habent perspecta.

Solvitur quaestio in prologo habita de spiritu sancto, quomodo noviter venerit in apostolos, qui antea in illis et ubique locorum erat.

Quod breviter fit loco ex Augustini libro II de trinitate producto. Explicit ibi primae diei dialogus primus.

Dialogus secundus.

Ejusce Lactantii errata, hoc secundo libro conscripta, post collocutionem quaudam de bello et pace sunt haec, quae sequuntur.

Ante adventum Nicolai et Candidi duo alii viri, disceptationum pridie habitarum fama allecti venerunt ad Antonium, Guarnerius Castilioneus et Franciscus Barbarus Venetus: „ille, inquit, civilis et pontificii juris omni orbe interpres famosissimus suaque professione doctissimus, qui et orator inter disertos et eloquentes disertissimus unus est eloquentissimus unusque. Hic vero ingenio, doctrina et arte non minor illo atque imprimis qui ex humanitatis ipsis beatissimis studiis non barbarus nominandus quidem, sed Atticus vel Arpinas, et qui pleraque omnia memoratu dignissima litteris demandarit, ut illa suae posteritatis, dum, quae scripsit, pro deliciis habentur, interesse videantur.“ Colloquuntur inter se primum de bello juri quod vocant naturae omnino contrario, deinde de pacis fructu ac bonis, docte omnia ex historiis et optimorum scriptorum, imprimis Ciceronis, testimoniis adstruentes. Tandem superveniunt Nicolaus et Candidus cum Blasio Ghilino, Ambrosianae ecclesiae abbate, qui erat, ut Antonius ait, „vir utique et religione sacer et pontificio jure multisque doctrinis et artibus, at imprimis ipsa oratoria perinsignis.“ Is Lactantii librum de ira dei afferebat. De quo cum sermonem sint instituturi, Guarnerius ab reliquis invitatus orditur plena expositione doctrinae de affectibus „quos Aristoteles passiones, Cicero animi perturbationes vocat,“ secundum Aristotelem in Rhetoricis et Ciceronem in Tusculanis. Ex his definitionibus efficitur, proprie iram in deum cadere non

posse, sed deum, quando punit, nobis iratum videri: sic etiam intelligenda esse Veteris Testamenti, praesertim Davidis, dicta quamplurima. Haec Guarnerius. Inde Franciscus de ira et tranquillitate animi philosophorum quorundam sententias percenset: puta Ciceronis, qui magnificentiam inesse justae et nobili irae docet, Senecae et imprimis Augustini (de civ. dei IV 4): post altius in rem descendit et de animarum natura loquitur, tum de daemonibus et angelis: qua re invenit, deum vere ira commoveri non posse, sed vulgo tantum ita videri ac locutionem e plebis mente, secundum sensus omnia judicante, ortum cepisse. Iam Abbas ipsum Lactantii locum recitat.

Primus error, quando firmiter credit, ita deum irasci et passionibus commoveri, quemadmodum homo irascitur et perturbatur et ibi tractatus incidens pulcher de ipsis passionibus (qui praecessit).

Secundus error, quando de ira contradictoria sentit et affirmat.

Multis exsequitur Lactantius nobilem iram, qua corripimur rei indignae aspectu: ejus similitudinem etiam in deo esse: sed Antonius ultionis cupidinem et nescio quos affectus impuros ei supponit: unde in sententias Lactantii facilem habet impetum, quem sigillatim referre nihil attinet. Contradictoria quae dicat, videbis collato appendice ad err. XIII superioris libri.

Tertius error, quando Platoni dat vitio, eum dixisse, matrimonia debere esse communia, sed tam illustrem philosophum nequaquam intellexit. Sequitur defensio Platonis adversus Aristotelem, qui Platonem ipsum et Socratem reprehendit, qui voluerint, uxores esse communes.

De hac re diligentissime disputat, locis Platonicis et Aristotelicis pulchre in latinum sermonem versis: ostendit Platonem non omnibus hanc mulierum communionem praecepisse promiscue, sed sapientibus et impuri omnis affectus expertibus civitatium φύλαξι, philosophis, qui scirent naturae convenienter vivere: fines ei rei, quae modum videatur habere nullum, a Platone tam prudenter positos esse, ut inter sapientes, quales statuat, de abusu cogitari non possit, imo ipsius naturae consilium ita ad effectum perducatur.

Quantum ad reliquos homines, nuptias mutari quidem posse, sed conscio et adprobante principe. Sic explicata Platonica sententia rationes Aristotelis et Lactantii singulas examinat ac vel restringit vel refutat.

Item Platonis alia defensio adversus Aristotelem, qui illum et Socratem damnat, qui voluerint facultates esse communes.

Eadem disputandi via utitur: de custodibus civitatium, quos statuit, sapientibus hoc solum valere: reliqui homines in Platonis politia commercia agitant et possessionis jura in singulis agnoscunt: id quod evincit locis multis, feliciter in linguam latinam translatis.

Quartus error, quando Lactantius dixit, completis sex millibus annorum mundum desiturum esse.

Quintus error, quando dicit, quod omnis expectatio de fine mundi non amplius a se quam ducentorum videtur annorum.

Sextus error et deridendus est, quando dicit, quod incolumi urbe Roma de interitu mundi nihil esse metuendum. De divinatione et astrologia multa incidenter et pulchra dicuntur propter Lactantium, qui multa (nescitur, quo oraculo) divinare praesumpsit.

Hanc disputationem Antonius bene disposuit: primum docte exponit divinationis genera varia inter paganos, addens, universa ao singula hic illic traduci et derideri ab Lactantio: unde igitur, quaerit, haec nova ei sapientia? „dcmonem profecto quempiam deo Socratis assimilem, qui sibi de futuris multa mentiretur, familiarem habuit. Ille enim Socrati mortem praedixit, hic autem Lactantio ad aurem has humidas et lapsantes praefationes obgannicbat. Credebat fortasse angelum dei esse: nec perspiciebat delirans sibi illudi, qui ceteras illusiones deridebat damnabatque." Nam non magis in sacris litteris quicquam reperiri horum praesagiorum simile: „nisi forte astrologi quidam in Aula Constantini, cujus filium „Chrysippum" latinis litteris erudiebat, his ei imposuerunt:" cam conjecturam pluribus firmat, praesertim narratione Augustini de civ. d. XVIII §. 54 praedixisse quosdam, Christi nomen per 360 annos cultum iri: quo spatio temporis completo annorum sine mora finem fore. Quasdam tamen ex his praedictionibus, quas narrat, eventum habuisse adjicit, multo tamen post i. e. non

200, sed 334 annos post Lactantium, cum Mahometus exsisteret. Sequitur inde excursus lectu jucundissimus de astrologis eorumque variis de mundi exordio et fine praesagiis ac sententiis, ubi etiam quaestiones quaedam chronologicae proponuntur ac solvuntur. Antonius astrologiam iis finibus prudenter includit, ut nos doceat motum corporum caelestium, eorum defectus et mutationes: nam illo tempore astrologos pro astronomis dicebant. Denique Lactantium, si invicta eum vaticinandi cupiditas cepisset, ex Apocalypsi meliora certe suis commentis et sacris literis magis convenientia proferre potuisse docet.

Septimus error, quando de fine sexti millesimi et fine ducentorum annorum sibimet adversatur et contradicit.

Nam Constantinum ex Eusebii computatione vixisse a. mundi 5500: ad quos si addas 200, efficiuntur 5700, non 6000.

Octavus error, quando mille annos illos famosissimos, quibus diabolus carcerandus est, quid sibi velint, non intelligit, sed delirat.

Sumtum ex apocalypsi, cujus sensum ita explanat Candidus: deum per mille annos diabolum vinctum tenere, ut homines in fide fortes fiant: post saevitururum eum tribus annis et sex mensibus, „sed tales tum erunt, cum quibus ei belligerandum est, ut vinci tanto ejus impetu et insidiis non possint.

Nonus error, quando dicit, homines post judicium ad paradisum deliciarum redituros.

E quo quidem Adae lapsu ejecti fuerant. Non enim intellexisse Lactantium empyreum illud coelum, ubi beati convenient, ab Johanne (in Apocal.) paradisum nominatum, sed terrenum: at, ut Hieronymus dicat: „Omne, quod de terra est, revertetur in terram: sancti autem nequaquam habebunt terrenum regnum, sed coeleste."

Decimus error (fortasse somniarat), quando dixit, Romanorum imperium in Asiam iterum reversurum.

Undecimus error, quando qui in die judicii erunt vivi, nequaquam morientes, sed post mille annos infinitam multitudinem generabunt.

Duodecimus error, quando dicit, quod gentes in judicio non exstinguentur omnino.

Tertius decimus error, quando dicit, quod peracto judicio civitas sancta pulcherrima a deo in medio terrae constituetur.

Quos errores arguit partim ab eventu, partim, ut philosophi loquuntur, ab impossibili: neque ad vaticinia in Apocalypsi concepta posse referri, quae quidem aliter intelligenda sunt.

Quartus decimus error, quando spiritus sancti omnino negat substantiam et ibi incidit tractatus de trinitate personarum.

Satis fuse ex praeceptis dogmaticis, quae omnes norunt; addit tamen philosophicas rationes ex Aristotele et persequitur sententias Joannis Scoti et aliorum. Sed haec referre nimis longum est.

Quintus decimus error, qui implicat suis eloquiis duos in fine mundi antichristos esse venturos nec imprudens errorem suum percipit.

Quae e Daniele et Johanne sumsit, at Antonius Lactantium ea vaticinia non recte cepisse credit probandasque unice esse interpretationes Hieronymi et Augustini de civ. dei XX. §. 23. in Daniel. Tum narrationem non absimilem Johannis in Apoc. cum Lactantio diligenter comparat, et παροράματα quaedam investigatur.

Sextus decimus error, quando dicit, caelum medium intempesta nocte et tenebrosa aperiri debere, quando dominus ad judicium veniet.

Imo clara die venturum Christum, ut patres uno consensu docent: et quod semel dicatur „media nocte clamor factus est: ecce sponsus venit“ id explicandum cum Augustino: „Nocte venturum dicimus, quia tunc veniet, quando non sperabitur.“

Decimus septimus error, quando putat, dominum Jesum comitantibus angelis adversus Antichristum in aciem descensurum et in quarto proelio illum superari debere.

Quid? Christum vinci aliquoties ab Antichristo? Non credibile. Quis dixit? „denique praestantissimi patres adventum summi judicis unum duntaxat praestolantur“ unde transit ad

Decimum octavum errorem, quando credit, ante diem judicii Christum venturum de coelo cum Antichristo conflicturum. Et ita adventus duos imprudens ponit admodum propinquos.

Quod arguit ex reliquis ecclesiae doctoribus.

Tandem cum Lactantius quasi alter deus de futuris contingentibus credit habere certam praescientiam et in hoc ridiculus sit habendus. Tractatus incidens exoritur de dei praescientia, quae verissima est.

Franciscus, Guarnerius et Candidus, suo quisque modo demonstrant, plane ut nostrates quidam philosophi, aut praescientiam dei aut humani arbitrii libertatem debere tolli. Plures etiam in hac re difficultates Antonius ipse lucida expositione cumulat: omnes tamen sensim Aristotelis, Ciceronis, Augustini et scholasticorum, praesertim Johannis Scoti, rationibus removere tentat: sed longior est haec disceptatio (12 foliorum), quam ut ejus ambages hic satis pleno possimus proponere. Dirimit voluntatem et intellectum dei: quod semel voluerit deus, necessarium esse, ut fiat et ab eo simul sciri vel praesciri; velle autem deum nihil nisi res ex legibus, quas ipse posuerit, necessarias: „determinatio igitur divinae voluntatis cum respectu actus creatae voluntatis non dicat nisi quandam sequelae necessitatem, consequens est talem determinationem nullam in actu voluntatis (scil. creatae) ponere necessitatem . . . , neque determinatio antecedens **in causa libera** respectu effectus libertatem aliquam contradictionis excludit." Licet quaedam distinctius tradiderit, quam qui praecesserant philosophi, quaestionem tamen nondum esse absolutam, facile apparet.

Explicit ibi secundae diei dialogus secundus.

Dialogus tertius.

Errata ejusce Lactantii hoc libro tertio conscripta sunt haec: Primus error est, quando Lactantius ex deo deum sive filium prolatione vocis ac spiritus docet potuisse generari.

Respondet Antonius: verbum ore prolatum per se substantiam non esse, Christum vero non solum substantiam, sed ex aeternitate cum deo subsistentem: Johannis autem dictum celeberrimum in principio evangelii aliter intelligendum esse, aeque ac Salomo-

nis verba: „Ego ex ore altissimi prodii primogenita ante omnem creaturam;" significari enim potentiam generativam et procreatricem dei in universum.

Secundus error, quando ait, quod pater facit filium et filius patrem.

Quod ita intelligendum videtur: filium patrem fecisse in animis hominum, excitasse ejus imaginem et cognitionem in mente mortalium, ad quos missus est. Nicolaus vero ita explicuit: „pater facit filium i. e. dato et intellecto patre intelligitur et filius. Et filius facit patrem i. e. posito filio ponitur et pater. Correlativa enim sunt, quorum lex et natura est, ut impossibile sit unum illorum in re haberi, quin habeatur et reliquum." Adversum quem Candidus alium Lactantii locum adducit: „Solus deus est, qui factus non est, ergo nec ipse se nec alter ipsum fecit", addens: „cognovit resipiscens errorem suum," pugnare tamen secum, dum in libro I. dixit: „deus se ipse fecit." Sed hoc est argutari et calumniari, non intelligere et intellectum refutare.

Pulchra contentio inter Ciceronem et Lactantium de materia prima. Ille aeternam esse dicit, hic creatam nititur comprobare.

Candidus eloquenter exprobrat Lactantio, quod Ciceronem et veteres philosophos non refutaverit argumentis, sed suam solummodo doctrinam, in potentia dei infinita nixam, illis opposuerit: sed cum maxime ipse exspectationem argumentorum excitaverit, fallit lectorem, et in aliud tempus differt.

Tertius error, quando ait, quod integrum corpus Christi e patibulo detractum est, ne laesum et diminutum ad surgendum inhabile redderetur.

Lactantium de deo loqui ut de homine: homines enim mederi non posse sine medicamentis, colliriis cett., nihil posse facere sine instrumentis et machinis: num etiam deum? Et omnes homines quantumlibet truncatos resurrecturos esse olim integros: cur non Christum etiam vulneratum?

Quartus error, quando dicit, Christum in Galilaeam profectum noluisse se Judaeis ostendere, ne adduceret eos in poenitentiam et impios resanaret.

Indignum hoc esse misericordia Christi, qui cor nulli induraverit, sed salvos omnes reddiderit.

Sequitur incidens materia de induratione cordis humani, de causa quoque praedestinationis reprobationisque.

Eam a nobis cognosci prorsus non posse, ut Augustinus etiam variis locis exposuerit.

Quintus error seu defectus, contra Platonem disserere de mundo et disputare contendit, sed frivolis et exilibus nimium argumentis.

Haec ratiocinatio est Lactantii: „Denique Plato ne dei opus imbecillum et ruinosum faceret, in aeternum dixit esse mansurum. Si hominum causa factus est, et ita factus, ut esset aeternus, cur ergo ipsi, quorum causa factus est, non sunt sempiterni? Si mortales, propter quos factus est, ergo et ipse mortalis atque solubilis: neque enim pluris ipse est quam quorum gratia factus est," etc. Contra haec Antonius ita disputat, ut singulos homines et genus humanum recte distinguat.

Sextus error, quando dicit, deum post diluvium instituisse, ut homines post centum viginti annos non amplius viverent.

Ex dicto dei apud Moysen: „Non permanebit spiritus meus in homine in aeternum, quia caro est: eruntque dies illius centum et viginti anni." Antonius probat interpretationem Augustini de civ. dei XV. §. 24: Cogitandum esse, hoc dixisse deum Noae 480 annos nato, ergo 120 annos ante diluvium, quod anno vitae Noae sexcentesimo, mense secundo, factum sit.

Septimus error, quando dicit, Pilatum in Christum mortis sententiam nequaquam protulisse.

Contrarium ex unanimi Evangelistarum testimonio probatur: inde additur: Pilatus etiamsi pro innocenti habitum Christum Judacis urgentibus tradiderit, nihilominus culpam hujus caedis in eum conferendam esse.

Incidens quaestio, an judex contra veritatem sibi sub certitudine cognitam attenti allegatis et approbatis debeat ferre sententiam.

Quod jure negatur.

Octavus error, quando dicit, Christum in principio adolescentiae a Johanne esse baptizatum.

Quod cum sciri non posse, tum non probabile esse. Eodem loco illud exagitat Lactantii: „Christus lavacro spirituali peccata non sua, quae utique habebat,

sed carnis quam gerebat abolebat," imo Christum semper sine labe ulla fuisse.

Nonus error, quando dicit, nihil colendum, quod oculis mortalibus cernitur, quod mortale sit necesse est. Quid vero Christus? inquit Antonius, qui oculis cernebatur, nec tamen mortalis et certo colendus? Vides, quam sophistica argutia!

Decimus error, quando dicit, deum virtutem docere non posse, quod expers corporis non faciet, quae docebit: et ibi quomodo in sententiis suis sibi contradicit. Pergebat paulo post Lactantius: „Vides quanto perfectior sit mortalis doctor, quia dux esse mortali potest, quam immortalis, qui docere non potest, quia subjectus passionibus non est." Contra haec Antonius recenset e Vetere Testamento multos viros innata virtute conspicuos; hanc igitur quem nisi deum ipsos docuisse? Extremo dogmati: deum passionibus subjectum non esse, illud opponit: deum irasci, v. dial. II. errorem primum.

Undecimus error, quando dicit, quod in resurrectione universali non erit caro illa, quam deus homini superjecerit, huic terrenae similis: imo insolubilis, inquit Lactantius, et permanens in aeternum. Candidus animadvertit hoc manifastis Scripturae Sacrae testimoniis contrarium esse.

Duodecimus error, quando dicit, Christum solvisse legem Mosi. Quod falsum esse inter omnes constat.

Disputatio pulchra, an Judaei cognoverint, Christum esse filium dei, ubi Lactantius cognitum fuisse dicit. Accuratius hic agit Antonius, quam Lactantius: ostendit, necessarium esse, ut Judaei in Christo Messiam exspectatum agnoverint, quippe qui prophetarum vaticinia in eo impleri satis aperte viderent; sed postea cum Jesum non ex ipsorum mente et affectibus agere animadverterent, „ab actuali consideratione veritatis praecognitae" desciverunt. Duos etiam errores hic tangit in indice non receptos: primum illam definitionem poenitentiae: eam esse nihil aliud, quam profiteri et affirmare se ulterius non peccaturum. „Usurariis, inquit Candidus, quadruplatoribus, atque Judaeis satis placida et salubris definitio: profiterentur hi singuli fortasse quam lubenter, ac jurejurando affirmarent, se nunquam in futurum feneraturos: modo

praeda praeterita eis impune relinqueretur. — Verius Ambrosius: „Poenitentia est et mala praeterita plangere et plangenda iterum non committere.“ — Deinde dixit Lactantius: . „Nec enim quicquam vitiosum nasci potest;“ imo omnia ita nascuntur, respondet Antonius, ob peccatum originale.

Tertius decimus error, quando dicit, si quis liberos ob pauperiem non potent educare, satius est, ut se ab uxoris congressione contineat, quam sceleratis manibus dei opera corrumpat.

Paupertatem non debere hominem avocare a sacramento, quale matrimonium: imo faciendum esse et et fiduciam ponendam in deo, qui aves pascat, nihil serentes, nihil metentes, et lilia vestiat.

Disputatio pulchra, ubi Lactantius reprehendit Ciceronem, non recte sensisse de liberalitate et hospitalitate et multis aliis; verum calumniator est, non veritatis assertor,

Notum est, Ciceronem in libris officiorum multa praecipere de beneficiis, liberalitate et hospitalitate, quali modo in homines conferenda sit: in ea disputatione non potest, quin ab inutili et inepta liberalitate dehortetur, et limites significet, in quibus eam virtutem contineri oporteat: sed Lactantius eos ipsos limites, imo paene omnes in ea virtute rejicit et dicta aliquot Ciceronis sinistre interpretatur. Hoc est, quod merito et satis perspicue allatisque idoneis locis notat, Ciceronis defensionem feliciter suscipiens. Similiter cum doctrinam de justitia non satis cognitam habuisse Ciceronem Lactantius affirmaret, Antonius e scriptis magni Romani, praesertim e libris de Republica, contrarium sufficienter probat.

Declaratio incidens sequitur pulchra quidem, sed multis grata, multis ingrata. Romane quictius et otio majore et pace sub consulibus an sub Caesaribus vixerit, imo sub quorum principatu majores clades et interitus perpessa sit, et tandem sub consulibus majores exhorruisse concluditur.

Cum Nicolaus et Candidus, domos licet satis dissitas incolentes, simul apud Antonium intrassent, hic ex iis quaesiverat: quomodo hoc factum fuerit: responderunt se apud nobilissimum Comitem Vitalianum Bonromaeum fuisse symposio ab eo adhibitos: eum ipsum post adventurum, ut disputationem ibi incho-

atam in horto Antonii absolverent. Ac vere ingressus erat Comes, cum maxime de hospitalitatis virtute ageretur, qua ipse tam conspicuus erat. Finita igitur hac disceptatione receperunt illam, quam in symposio agitare coeperant: „Romane plures et atrociores calamitates, clades, et interitus sub regibus et imperatoribus an sub consulibus perpessa sit.“ Hanc quaestionem Antonius ipse tractat, ita quidem, ut universam reipublicae historiam, fere ut Orosius, percurrens bella externa et intestina eorumque miserias describat et inde efficiat, pacem ac tranquillitatem sine comparatione feliciorem fuisse sub principibus.

Socrates approbat, unum principem duntaxat in civitate esse debere, damnat autem multitudinem principatuum. Idem facit Demosthenes, idem et Titus Livius. Quorum testimonia exscribuntur.

Arguit deinde Lactantius contra Aristotelem, qui mundi aeternitatem posuit. Ipse autem a deo productum esse testatur, quod cum verissime dicatur, tamen ita exiliter, ita aride adversus eum philosophum arguit, ut somniare potius, quam litigare, non dicam disputare videatur.

Debiles profecto rationes Lactantii sunt: primum scire nos quaedam animalium genera, quae ante non fuerint, esse coepisse; igitur etiam desitura esse; deinde tempus dividi in praeteritum i. e. originem, praesens i. e. substantiam, futurum i. e. dissolutionem: ergo hominum quoque genus interiturum, quod paene jam interierit in diluvio sub Deucalione. His argumentis quam parum proficiamus, Antonius bene ostendit, praesertim eo, quod quae de singulis rebus creatis valeant, non continuo possint in universam rerum naturam transferri (cf. dicta ad err. 5): meliora tamen argumenta ipse non addit.

Scribit de diluvio tempore Deucalionis et, quid antea dixerit de diluvio Noae, obliviosus esse dignoscitur.

Lactantius dixerat in diluvio Noae decem homines servatos esse; in Deucalioneo nonnisi duos: secundum igitur diluvium gravius fuisse priore: quod Antonio absurdum esse videtur.

Quartus decimus error, quando dicit, omnem philosophiam esse abjiciendam et eam temere prolixius insectatur.

Quae refutat Antonius, dum longa narratione loquitur:

De laudibus Socratis et Platonis per divum Augustinum, quas Lactantius, si nunc videret (ut creditur) resipisceret.

Addit etiam Pythagorae peregrinationes, „quibus litteras toto fugientes orbe persecutus est." Ciceronem modeste nonnunquam de philosophia loqui, quae sane ars sit infiniti operis, sed improbe facere Lactantium, dum ei insultet: nihilominus philosophandum esse: cuius rei utilitatem et necessitatem praesertim Senecae verbis demonstrat. Refutat etiam perspicuis rationibus Lactantii miram sententiam, „philosophos ad corpus omnia referre, nihil prorsus ad mentem."

Quintus decimus error, quando dicit, deum in fine mundi facturum, ne sol per triduum occidat.

Hoc enim neminem ex sacris scriptoribus testari: Lactantium autem satis notos V. et N. Testamenti locos inter se permiscuisse. Inde exhibetur descriptio, quam Lactantius de fine mundi dedit, integra: splendida sane pictura, vivis coloribus tincta; ad eam Candidus Senecae in epp. judicium de philosopho quodam transfert: „Quemadmodum per proclive currentium non ubi visum est gradus sistitur, sed incitato corporis pondere serpit ac longius quam vult effertur: sic ista tua dicendi et scribendi celeritas, imo levitas nec in sua potestate est, nec satis decora philosophiae, quae ponere debet verba, non projicere, et pedetentim procedere."

De Lactantii eloquentia videatur, quid Seneca multis annis ante praesenserit.

Sextus decimus error, quando non universos a deo judicandos dicit, sed tantum eos, qui in dei religione versati sunt.

Quod apostolorum testimoniis plane contrarium esse demonstratur.

Decimus septimus error, quando dicit, quod illi, quos plena justitia et maturitas virtutis incoxerit, ignem judicii non sentient.

Cui sententiae opponit notum satis catholicae ecclesiae dogma.

Decimus octavus error, quando dicit, animas usque ad diem judicii in una communique custodia detineri.

Imo statim post mortem omnes judicatum iri et alios felices coelum inhabitaturos, alios apud inferos cruciari, dum Christus veniat.

Undevicesimus error, quando dicit; quod qui ab inferis suscitabuntur, ii praeerunt viventibus veluti judices.

Ergo scelestos? Non credibile est: quinque enim modos cogitari posse, quibus supremum judicium instituatur: sed eum modum, quem Lactantius significet, plane absurdum esse.

Vicesimus error, quando credit, aetatem auream, quae posita a poetis est, veram quidem post diem judicii esse futuram.

Haec ex Jesaia sumpta esse, sed male intellecta: prophetam vaticinari auream aetatem orituram nato Messia, non redeunte ad judicium.

Ultimus error, quando docet, duo judicia universalia duasque resurrectiones esse futuras, tempus autem intermedium esse mille annorum, plenum omni justitia et pace omnibusque deliciis, quo tempore finito, sive in fine septimi millesimi solvetur diabolus et persequetur fideles ut prius.

Haec commenta omni fide ex Scriptura Sacra et Patribus sanctis destituta esse.

Denique de litterarum immortalitate inter praestantissimos viros fratremque Anthonium Raudensem theologum in calce hujusce dialogi colloquentes contentio honestissima exoritur.

Antonius ab amicis invitatur, ut sermones per tres dies de Lactantii erratis habitos mandaret litteris: quod quo lubentius faciat, longa, sed docta et jucunda lectu narratione amici exponunt, qui ex veteribus et se et alios scriptis illustrarint quosque sine scriptis illis plena oblivio premeret. Permovetur tandem Antonius, ut hoc munus sibi injungi sinat, modeste licet de se sentiens. Inde amici sibi valedicunt et abeunt.

Explicit ibi tertiae diei dialogus tertius.

Narravimus hic, quanta potuimus brevitate, quae Antonii liber satis magnus contineat: sed ob familiaris confabulationis, quae fingitur, ambages et ordinem negligentiorem sententiarum tenorem sequi et strictim repetere

nonnunquam valde erat difficile: ceterum ut non nimis longi fuimus, ita nihil paulo majoris ad disceptationem momenti ab nobis omissum esse bona fide affirmamus. Jam de pretio operis, quod scriptores historiae litterariae ecclesiasticae nunc, spero, in libris suis non praetcribunt, judicium ferre cuique in promptu est: quamvis philosophiae, historiae, exegeseos et aliarum scientiarum perfectio et flos hodie tantus sit, ut cum Antonii temporibus comparari non amplius possit, nihilominus futuro editori operum Lactantii Antonius partim doctrina sua, partim judicio nonnunquam felici opem feret minime contemnendam.

Carmen de Machabaeis.

Cum ex celeberrimo veterum Manuscriptorum thesauro in bibliotheca Regia Parisiorum reposito, codicem membr. 8093, qui maximam partem nono et decimo saeculo scriptus est, perlustrarem, inter multa alia praecipue scriptorum ecclesiasticorum opuscula, carmen animadverti Sto. Hilario attributum cum inscriptione: in Natalem Machabaeorum Matris, quod in hujus viri operibus me viderè non memineram. Ac revera in Hilarii editionibus, quaecunque mihi ad manum erant, illud carmen non inveni. Omnes autem, qui id cognitum habent, aut Marium Victorinum *) (362 p. Ch.) aut Nectarium († 397 p. Ch.) **) aut Victorinum Petavionensem (290 p. Ch.) ***) autorem esse volunt, quae dissensio jam satis demonstrat, hunc valde incertum esse. Codex noster hoc carmen, ut jam dixi, Hilario adscribit neque dubitari potest, quin simile sit aliis hujus viri poematis, quae nobis supersunt. Cum codex, ut sequentia probabunt, optimus sit, et pauca tantum scripturae menda habeat et cum ceterae ejus inscriptiones nullum errorem offerant, sequens carmen fortasse Hilario tribuendum est. Nonne quidam fungus terrae inscriptionem ILARII legere Marii ac versus Ma-

*) Cf. de Fabio Mario Victorino Afro Cave script. eccl. hist. liter.

**) De eo vide Morery diction. histor.

***) Vulgo credebatur Pictaviensis in Aquitania, cujus tractatum de fabrica mundi v. apud Cave cf. Jean de Launoy diss. de eo.

riorum notissimo, Mario Victorino, adscribere poterat? Praeterea in operum Hilarii Arelatensis (401 — 49) edit. Rom. 1731. 8. poema esse dicitur, quod probat, jam antea Hilario cuidam adscriptum fuisse (Hamberger zuverl. Nachr. III. p. 151). Quanquam pretium carminis poeticum non magnum sit, historicum tamen spernendum non est; nam inde bene judicari potest quales poetici quarti et quinti saeculi conatus fuerint, quam late Virgilii et Ovidii imitatio patuerit et quanto studio sanctorum historia Christianis illius temporis in memoriam revocari soleret.

Poema jam typis exscriptum est in: Sanctae reliquiae duum Victorinorum cum notis et praef. Andreae Rivini, qui suis sumptibus in reip. literariae commodum eas excudi fecit Gothae 1652. 8., attamen hunc librum nusquam obtinere poteram. Tum legitur in Maximae Biblioth. Vet. Patrum Tomo IV. Lugd. 1677. p. 297 ss., sed cum cod. noster multo melior sit, ut ex sequentibus apparebit, hoc carmen prelo iterum subjici non inutile esse judicabam. Varias lectiones ubique adnotavi, minime vero membrorum per notas divisionem, quam saepe mutavi. Jam de argumento aliqua praemittam.

Redanus in apparatu suo p. 48 probat Machabaeorum nomen graecum esse atque a Graecis Judae inditum, qualia plura adducit et explicat, ejusdem vel similis originis, ut Symmachus etc., fusius istic proposita; ut mysticis symbolicisque inscriptionibus opus non sit ad evolvendam Judae, cui primum ea appellatio obtigit, pugnacissimam indolem, tota Machabaeorum historia satis demonstratam. Haec causa est agnominationis, quae in Judam primum, deinde in fratres, viros armis et praeliis clarissimos, ac denique in illustres Martyres nostros transiit, cf. Serarium praeloquio I. in libros Machab. p. 365 et Nicetam in 22 orationem Gregorii Nazianzeni. In Scriptura plane anonymi sunt nec ulla generis aut singularis tribus nobilitate insignes, sed apud Josephum fratrum nomina propria sunt Machabaeus (a quo omnes appellatos esse censet), Aber, Machiri, Judas, Achas, Areth et Jacob; apud Calmetum Abbin, Gourias, Eusebinas, Marcella, Antonius, Isleazar, Samonas et matris nomen Solomonis, patris vero Archippus definiuntur, Eleazar vero sacerdos fratrum institutor dicitur.

Annus martyrii in ipso sacro textu satis definitus est I. 1, 57. cf. cum versu 30 et 21 et II, 5, 11. 166 a Chr. nat. Fato suo functi sunt Antiochiae, quae fere invaluit sententia ut scripturae sacrae convenientior, ubi a Chri-

stianis egregia basilica honorati fuerunt, eorum reliquiis in varias occidentales ecclesias subinde translatis. Nam Antiochia primum per Helenam, Constantini matrem, Constantinopolim devenisse hi cineres traduntur, deinde ab Eustorgio Mediolanensi episcopo Mediolanum, hinc vero ab archiepiscopo Coloniensi, Reginoldo, Coloniam Agripp., cum scilicet anno MCLX. Mediolanum obsedisset Fridericus Imper. Serarii hist. Colon. p. 406 ff. Saussayus Martyrolog. Gallican.

Istud prorsus singulare est, quod, qui ex tota V. T. historia postremi essent, iidem ipsi in Christi Ecclesia Sanctorum honores cultumque religiosum ante omnes alios consequerentur, imo soli, quantumlicet tot alii in vetere lege sanguinem profudissent: id vero imprimis summa dignum videtur admiratione, quod tametsi sesquiseculo et amplius Salvatoris adventum praecessissent, nihilominus inter primos et praecipuos Ecclesiae Martyres relati, culti et celebrati fuerint. Hujus rei testes sunt multi, sive enim antiquissimos, qui quidem exstant, sacros Ecclesiae Fastos consulas, sive sanctos primorum saeculorum Patres appelles, sive vetustissimos Ecclesiae scriptores, illos omnes in iis laudandis exornandisque certatim quodammodo contendisse, non immerito dixeris. Fratres Machabaei (quibus saepe sanctus senex Eleazar materque connexi sunt) nec celeberrimis Ecclesiae martyribus posthabiti, imo quam plurimis, saltem ordine temporis, antepositi sunt. In Ptolemei Silvii Kalendario (saec. IV.) ipsis Augusti Kalendis inter sex martyres jam enuntiantur Machabaei. Ex Fastis manifestum est, ante Petri Vincula solemnem fuisse Romae Machabaeorum festivitatem, quod praeterea confirmat Kalendarium Carthaginiense. V. Acta Martyrum sincera a Ruinartio edita, ubi Kal. Aug. diserta ipsorum legitur, non item Petri Vinculorum, commemoratio. Wandelbertus ita canit:

Augustus demum pleno jam farre refertus,
Quis nova sacra ferat, monstremus carmine Sanctos,
Quos ferus in mortem Antiochus cum matre subegit;
Venturo sanguen qui Christo sponte dicarunt,
Augustas retinent Machabaeis jure Calendas.

In recentioribus Martyrologiis saepe transpositio facta est, in diversis ecclesiis sensim variavit ritus atque posterioribus saeculis festivitas Petri ad Vincula omnino praevaluit et officio et missa.

Jam si Graeca monumenta consulas, mira in die cum Latinis consensio cf. Menologium Basilianum et Gregori

Nazianz. orat. in Machabaeorum laudem. Antiochiae templum iis exstructum dicatumque erat, unde brevi in reliquas orientis regiones propagata fuit horum Sanctorum veneratio cf. Augustin., et Gregorii et Chrysost. panegyricas orationes. Ex Asia mox in Africam et Europam penetravit. Romae certe basilicam iis conditam, in eaque depositas eorum reliquias tradunt plures. Lugduni etiam in Gallia et Viennae non minus antiquae fuerunt Machabaeorum ecclesiae. Cf. Greg. Naz. orat. 22. tomo I. ed. Billianae, p. 397 ff. Chrysost. hom. 1 et 2 et 3 cf. etiam Patres lat. Cyprian. IV. ep. 6., lib. de exhortatione martyrii 9. Ambros. offic. I, 41. XI. ep. 7. de Jacob et vita beata XI. 11. Augustin. cap. brevia ex sermone 300, tomo 5 ed. Bened. a col. 850., serm. 301. Neque opus censemus, Hildeberti et Marbodi metrica Machabaeorum elogia adducere quae videas in ipsorum operum editione stud. Beaugendre Par. 1708 forma maxima pag. 1235 sqq. et 1517 ss., quorum alterum Hildeberti 478 versuum minoris momenti est, quam Marbodi 158 versuum. Plura de Machabaeis V. in Act. Sanct. Augusti Tomo I.

Incipiunt versus Hilarii in natalem Machabaeorum Matris. *)

REX FUIT ANTIOCHUS SYRIAE DITISSIMUS OLIM,
In cujus regno mater natique fuerunt
Septem, ut fama refert, de sancta gente creati;
Quos cura egregii generis meminisse jubebat
Et legi servire datae: sic namque volentes
De populo meliore dei sua jura tenebant.
Rex avidus mutare fidem, mutare timorem
Justorum voluit; populo ut misceret iniquo,
Praemia promittit matri, promittit et aurum,

v. 2. *fuerunt*] ed. *fuisse.*
v. 3. *Septem*] numerus apud Hebraeos in laude. Greg. Naz. or. *ἀριθμὸς των παρ' Ἑβραίοις ἐπαινουμένων, τῳ τῆς ἀναπαύσεως μυστηρίῳ τιμώμενος.*
v. 4. *Egregii*] ed. *assidui*. Voluerunt fortasse *adsidue*. Sed codicis lectio et structuram et sententiam erigit. Supplendum enim ad *meminisse* ex seqq. *legis.*
v. 6. *De populo meliore dei*] sc. non a tyranno, cui plebs cetera obtemperabat.
v. 7. *timorem*] pro pietate in scriptoribus ecclesiasticis.
v. 8. *voluit* etc.] ed. *Voluit, et ut populo pariter misceret iniquo*, cf. I. Macc. 1, 43 usque ad fin.
v. 9. *promittit*] ed. *promitti. aurum*] ed. *illis*, a glossatore; vide modo v. 11 et 12.

*) *Matris*] cod. Mrr.

Et quicquid posset toto conquirere regno,
Si modo mutaret mores sensusque priores,
Cogeret et natos alios sibi fingere mores.
Illa negat, taciturnque premit sub corde dolorem.
Hanc postquam nullis potuit corrumpere verbis,
Temptavit primum tormentis vincere saevis:
Pertulit illa graves gemitus et tristia regis
Verbera non timuit. Victum se vidit ut ille,
„Heu, quid agam," dixit, „vincis quod femina regem?
Non tamen effugies: plus est quod, dura, dolebis.
In natos saevibo tuos: licet improba perstes,
Hac certe ratione meum sanabo dolorem."
Sustulit illa manus caelumque aspexit in altum,
Emisit gemitus et talia verba locuta est:
„Tu licet et gazas tradas et regna, tyranne,
Non capimur regum donis, nec munera sanctis
Eripient promissa dei. Spes certior illa est,
Quae vitam nobis promittit tempore longo:
Hanc sequor, hanc didici: nam lubrica tangere dona,
Sumere divitias facile est, et perdere vitam.
Sed licet et flammas post vulnera saeva mineris,
Nil mutare potes, quod primis coepimus annis.

v. 10. *toto conq. r.*] ed. *totum perquirere regnum*, ubi aperte depravationem unam ex antiqua scriptura ortam inducta altera cumulaverunt.

v. 11. *modo mutaret mores*] sic saepe apud Virg. et Ovid., haec lectio multo melior, quam ed. *demutaret mentes*.

v. 13.] sic Virg. Aen. I 209 premit altum corde dolorem.

v. 14.] ed. *nulla potuit compellere praeda*.

v. 16. *graves*] ed. *tamen*.

v. 17.] cod. *verbera, non t.* Recentiores non amant talem interruptionem emphaticam. Tum cod. *Victum ut se vidit at ille*, sed *at* locum post *victum* habere deberet. cf. Hand. Tursell. p. 443.

v. 18.] ed. *vincor, quid plura? dolendo.* Scriba codicis, unde editio expressa, in seq. versum aberraverat.

v. 19.] ed. *quod plura dolebis*: sed *dura* pro vocativo habendum est.

v. 22. *aspexit*] ed. *inspexit*, absurde.

v. 23. *emisit*] ed. *emittens*, quod velim codex confirmaret.

v. 25.] comp. Ov. ars amat. 3, 653. Omnes sacrae scripturae personae, quarum in hoc carmine mentio facta est, Sancti vocantur.

v. 26.] ex notionibus veteris testamenti, sensu israelitico.

v. 28. Sic scripsimus e cod., qui nom *lubscit tongere dona*, unde elici possit: *non t. d. lubescit*, nisi haec vocabulorum collocatio offenderet. Ed. *non lubrica tongere regna*, quod in aprico est finxisse glossatorem.

v. 29. *vitam*] sc. veram, aeternam, dum terreno lucro inhiamus.

v. 30. *vulnera*] ed. *verbera*.

v. 31 s.] ed. *primis accepimus annis virtutem cum lege datam: mihi linquere etc.* Fortasse et cum l. data h. e. cum virt.

Virtute id cum lege data mihi vincere certum est!
Quid nunc, saeve, jubes? natis quid, dure, minaris?
Hoc solo poteris matrem turbare dolore.
Est mihi namque deus spes, est mihi cura meorum,
Per quam spero equidem te nullum vincere posse.
Caeli, quaeso, fave numen, quia justa rogamus."
Rex furit Antiochus, turbatus corda tumultu,
Concutit et saevos testatus lumine vultus,
Miraturque diu, possit quod femina tantum.
„Pare, age, miles, ait; regni quoque, pare, minister;
Vos famuli parete mihi; date digna furenti
Femineo tormenta malo; saevire furentem
Femina me cogit: quod plus est, femina vincit
Regis jussa sui! Sed non impune locuta est:
Membratim perdam: septem nam perfida natos
Intra se retinet: quorum qui primus habetur,
Hic primus pereat; perdam sic ordine cunctos:
Cratibus impositos subjectis urere flammis

et. l., adjutrice: Lectionem ed. falsam esse apparet e. v. 6.

v. 33. *Quid*] cod. *quod*, ed. *quicquid saeve jubes*; conjunctum cum versu antecedente, pro: *quid*, *dure* ed. *quod dura*.

v. 34. *solo*] ed. *solum*, *dolore* ed. *timore*.

v. 35. *spes*] cod. . . *pes*, *cura* ed. *certa* ut v. 26.

v. 36. *quam*] ed. *quem jam sperem*. *Te nullum* etc., ut dicitur: nullus dubito pro non dubito et similia, vel suppleas filiorum meorum.

v. 37.] ed. *fave, coelique Parens, te j. r.*

v. 38.] ed. *turbataque corda tumebant*. *Tumultus* de quovis affectu et animi perturbatione.

v. 39.] cod. *testatur*.

v. 41.] ed. *Miles*, *ait*, *pare regi pareque satelles* *Mil. ait*, haec duo verba in cod. erasa sunt, sed effulgent *miles ut*, pro quo scribendum est: *miles*, *ait*.

v. 42. *digna*] ed. *data regna*.

v. 43. *fem. m.*] pro: malae feminae.

v. 46. *perdam*] ed. *pereat*.

v. 47. *intra se retinet*] ed. *intra regna tenet*. Dicit: *membratim perdam*: nam non sola est, sed in se tanquam membra retinet filios 7 eximie amatos. Quod cum non assequeretur glossator editionis, ita pervertit: *intra regna tenet*, quasi qui fugere et a matre se abalienare vellent: quod quam ineptum h. l. sit facile intelligitur.

v. 48.] ed. *pereant sic ord. cuncti*, cod. *perdas . . . . cunctos*, lege: *perdam*. Nihil enim in codd. aliquot vetustis difficilius, quam *m* et *s* finales alteram ab altera distinguere.

v. 49. *subjectis*] cod. *subjectos*, sed sensus requirit *subjectis* et locus ex Virg. Aen. II 37, ubi eadem verba legis. Ejusmodi supplicia alii quoque martyres passi sunt, qua de re conf. martyrologia. Fuit aliud genus supplicii, quo reos crati suppositos et lapidibus super injectis obrutos necabant: quod Carthaginiensibus praecipue usitatum fuisse dicitur. Pl. Poen. 5, 2, 65 Liv. I 51 et IV 50. Ferrar. Elect. 2, 7.

Cernat ut ipsa suos mater nunc aspera natos.
Poena autem manet haec: celeres decet esse ministros."
Interea fecunda parens jam crine soluto
Astitit, hortanti similis; jam pectore nudo
Ubera protendens, natorum alimenta suorum.
Non confusa stetit, natumque ut vidit ad ignem
Constantique gradu fortem procedere dixit:
„TV MEA PROGENIES, TV PRIMVS RESPICE MATREM.
Tu certe meus es: nunc nostri, nate, memento!
Te primum peperi, tu nunc imitare parentem:
Sume meos mores et regem vince tacendo.
Tum poteris durare diu, si tempora vinces
Perfida, ne superet sanctos violentia regis.
Utere consilio matris, nec damna timebis.
Fortior esto aere saxoque potentior ipso;
Ingredere ut juvenis, patienter vince dolores."
Ille modo ad matrem vultus, modo tollit in altum;
Dumque tacet, tacitusque rogat, quem debet, et orat,
Non sensit rapidos subjectos cratibus ignes.
Corpus inane fluit; mater gravis ipsa resultat,

v. 50. *mat. nunc*] Ed. *sic cernat ut.*
v. 51.] ed. *aut quem maneat, cel* . . .
v. 52. *fecunda*] ed. *foecunda*, sed v. Varr. ap. Gell. 16, 12 et ap. Non. p. 54, 5 et Voss. in Etymol.
v. 53. *astitit*] cod. *stabat et. hortanti* scil. filium, ut mortem fortiter pateretur.
v. 54. *protendens*] cod. *portendens.* cf. Gregor. Nazianz. or. 22.
v. 55. *stetit*] cod. *aperit. ignem* ed. *ignes.*
v. 56.] ed. *inconstante gradu timidum*, inepte.
v. 58.] ed. *tu nunc certe meus, matris tu n. m.*
v. 59. *tu nunc*] cod. *tunc*, quod scribitur tu ne.
v. 61. *tum*] cod. *tu. durare diu* de vita aeterna, virtutum et aerumnarum praemio. *si* ed. sic.
v. 63.] ed. u. c., *regis ne damna timeto*, in quo interpretatio certe probanda, *damna* de regis vexationibus.
v. 64. *esto aere*] ed. *est isto.* Transpositis vocibus *aere esto* possis scribere: sed qui tum oritur sonus ex intolerabilibus est. Quare productionem syllabae ab ictu statuere praestat.
v. 65. *ingredere*] scil. dolores.
v. 68. *non sensit*] cod. *consensit subjectos*, cod. subjectis, ut saepe librarii adjectivorum terminationes incaute proximis substantivis accommodant, *rapidos* fortasse legendum est *rabidos* cf. Bormann ad Virg. Aen. 7, 451 et 493. Cort. ad Lucan. 3, 235. 6, 337. 7, 145; sed rapidus ignis Virg. Georg. 4, 263. Aen. I 42. cf. etiam Ecl. 2, 10. Ov. Trist. I 7, 20. Sic codicis lectio *rabida* v. 152 in ed. depravata in *rapida.*
v. 69. *fluit*] ed. *fuit. fluit* pro *diffluit, dilabitur.* Nam facilitatem dissolutionis exprimi ex consilio poetae erat. *gravis ipsa resultat*, mater adeo

Et dixit: Vici: vincam sic saepius, oro;
Duret natorum virtus incognita regi,
Sed jam nota deo, populi qui pectora novit.
Finierat primi partus fecunda laborem,
Remanente metu pro pluribus anxia mater,
Dissimulatque tamen, ne regem gaudia tangant.
Rex stupet Antiochus nec credit posse sequentes
Poenae tale genus simili pervincere sensu.
Coepta jubet peragi; mater non territa mansit;
Sed tamen ut vidit pallentem assistere natum,
Haec secum volvens aliqua jam parte levatur:
„ECCE SECUNDA MEI PARTUS PRODUCITUR AETAS
Quam similis fratris formae! Si pectore duras
Et sequeris primi partus vestigia nostri,
Esse meus poteris; poteris reparare salutem,
Quam jam frater habet, matris praecepta secutus.
Pone metus, regisque minas contempne furentis,
Regnaque quis cursim labentia tempora dantur
Non poterit post ista tibi rex iste nocere,
Sed poteris post haec tu regi, nate, nocere,
Temporis ecce levis conscendere cogeris ignes!
Virtutis locus est; languentem pone timorem;

senectute gravis constantia has filii animadversa exultat. Editionis lectio *gavisa dolore est* a gloss. est, qui etiam *gravis* male cepit de dolore.
v. 70.] ed, *si saepius orem.*
v. 73. *laborem*] aerumnam, summum dolorem, quem sustinuit in amittendo filio, ed. habet vocab. ipsum *dolorem.*
v. 74. *remanente*] ob metrum, cod. *sed manente. anxia* sc. est.
v. 76. *nec credit posse*] Cod. *nec redit ipse* i. e. *n. cr. i.*, quod verum videri posset, si credibile esset tam recentem poetam veteris mensurae rationem habuisse, de qua v. Hermann. Elem. doctr. metr. p. 40 sq. Sed *posse* in codd. scribitur *pse*, unde error. Osann. Anal. crit. p. 33. Schneider Elementarlehre p. 760. Ritter de elementis linguae latinae II.
v. 77. *simili sensu*] ed. *similes natos.*
v. 80. *levatur*] ed. *levata.*
I
v. 81. *MEI*] ed. *mihi*, cod. M, quod alias pro *mihi.*
v. 82. *Quam*] cod Qa. *fratris formae! Si* ed. *fratri formoso. duras* ed. *dura.*
v. 83. *Et* ed. *si.*
v. 84. *poteris*] ed. *et sic.* Exciderat nimirum alterum *poteris*, aperto versus detrimento: quod reparare glossator utcunque studuit.
v. 87.] Sermo enim est de regibus terrestribus et coelestibus, ed. *quae parvo labitantia tempore.*
v. 89.] Ed. versum omittit, decepto terminationis similitudine librario.
v. 90. *levis*] i. e. parvi, brevis. ed. *accensus cogitur ignis.*
v. 91. *Virtutis*] fortasse *virtuti*: nam verba *locus est* fere ubi-

Esto memor nostri generis, si sensus inhaeret.
Hic, qui sceptra tenet, regno qui saevit in isto,
Tempus inane putat, regno vitaque carebit,
Damnatusque nocens aeternos sentiet ignes:
Tu securus eris, turba comitante piorum.
Aspice nate meos vultus, et suspice caelum
Auctoremque deum, per quem tibi vita paratur.
Haec melior; fratrisque tui vestigia calca:
Non quod rex jussit, sed quod deus imperat audi."
Sicut erat monitus, matrem caelumque videre
Constitit, atque hilari vultu contempnere regem
Coepit et ut ridens ardentes irruit ignes
Conlapsusque jacens anima superante quievit.
Mater ut hoc vidit, rigido sic ore locuta est:
„Felix parte aliqua sum: jamjam non potes omnes,
Saeve tyranne, meos cruciando vincere natos.
Te gravior mox poena manet, crudelis, in igne
Quam patiere brevi: deus haec namque omnia cernit."
Jam duo securi contempto rege manebant;
Spes melior jam matris erat: jam tertius instat.
Ecce locus poenae! — si poena est vincere regem,
Et servire deo: laus est, non poena furentis.

que dativo struuntur.

v. 92. *Esto memor*] ed. *sume animos* et *nost. gen.* conjunctum est cum sequentibus. cf. v. 286. In nostro cod. antiqua illa structurae lex conspicitur, qua in mediis phrasibus ponunt quae tanquam utrique communia cogitantur.

v. 94. *inane*] cod. *mane*, sed lege *inane:* tanquam hoc tempus non sit exercendis virtutibus adhibendum, *putat* ed. *regit.* Non male: est rex in huius terrae rebus caducis. Sed codicis auctoritas potior. Tum legit ed. *regnum vitamque cremari:*

v. 95.] ed. *damnarique.*

v. 96. *piorum*] cod. *priorum*, sed cum edit. legendum est *piorum*, qui in caelo sunt.

v. 97. *Aspice*] ed. *accipe*, cod. *suspice* ed. *respice.*

v. 99. *haec melior*] aeterna, quae te jam manet. Cod. *hac melius.*

v. 100. *rex jussit*] cod. *iste jubet*, falsa prosodia. Nota praeter. *jussit* de rege, et praesens *imperat* de deo, cujus imperata semper et ubique valent.

v. 101. *videre*] haec constructio, quamquam rara, jam apud veteres poetas, cf. Ramshorn Gramm. §. 168.

v. 104.] quam pulchre et excelse!

v. 105. *rigido*] sic alias bono sensu pro firmo, constanti. Liv. 39, 40. Luc. 2, 389. Ov. R. Am. 762. *locuta* cod. *loquta.*

v. 106. *sum: jamjam non*] ed. *aliqua, cum iam vis, nec p. c.*

v. 107. *cruciando*] ed. *trucidando*, melius sine dubio nostra lectio *cruc.* h. e. vexando, ut βασανίζω cf. Cic. Har. resp. 18.

v. 108. *mox*] ed. *nunc. in igne* cod. *iniqua*, quod non convenit antecedenti *crudelis. in igne* de poenis Christianorum infernalibus.

v. 109. *haec*] ed. *hic.*

v. 113. *poena furentis*] sc. quam

TERTIVS ADTRAHITVR IVVENIS FRENDENTE TYRANNO,
Qui nondum satiatus erat; furor intus et ira
Saevibant pariter, quod fortia pectora fratrum
Viderat impavide regis superasse furorem.
Constitit ante pedes juvenis florentibus annis,
Egregius forma, dignus qui regna teneret,
Dignior Antiocho et sic meliora secutus
Regna, volente deo. Mater cui talia fatur:
„Accipe, nate, tuae securus dicta parentis;
Accipe, ne segnis perdas virtutis honores.
Sunt tibi jam fratres pietatis sede manentes,
Jam meliore loco quam regna labantia regis:
Quorum tu proprios attingis pectore sensus:
Victor apud populos regem superasse fereris,
Sicut fama tuos jam misit in ardua fratres.
His accede, precor; sunt haec aptissima dona,
Contempsisse nefas et jura relinquere regis
Indomiti, quem nulla manet post ista voluptas."
At juvenis tacito mittebat murmure voces;
Oranti similis palmas tendebat in altum,
Subnixoque genu matris pendebat ab ore
Quam licet aspectus corpus, cui turba premebat.

tribuit ille furens, nam est active sumendum.

v. 114. *frendente*] significantius quam ed. lectio: *mandante.* Nam exprimit furorem regis, qui in duobus nihil effecerat.

v. 117. *impavide*] ed. *impavidi.*

v. 119. *dignus*] ed. *diro*, conjunctum cum seq. Antiocho.

v. 121. *volente*] ed. *vocante.*

v. 123. *perdas*] ed. *reddas*, *honores* ed. *honorem.*

v. 124. *fratres*] cod. *fratris*. *pietatis* christiano sensu.

v. 125. *Jam*] cod. *Item*. *meliore loco* ed. *locus est melior*. *labantia* ob metrum ed. *labentia.*

v. 126. *tu*] ed. *si*. Summe enim persuasum est matri, hunc quoque filium neque ipsa neque fratribus indignum se praestiturum.

v. 128. *ardua*] cod. *omnia*, quod explicandum esset in omnes partes, sed hoc aliis locis ita dictum non reperitur. *fratres* cod. *fratis.*

v. 129. *his*] cod. *hic*, ed. melius *huc*, sed legendum puto *his*: fac, ut his fratribus annumereris. Eodem modo infra v. 177: *genitori accede. aptissima dona* ed. s. h. *sunt apta dolenti.*

v. 131. *voluptas*] de vita aeterna.

v. 132. *voces*] ed. *vocem.*

v. 134. *pendebat ab*] ed. *figebat in.*

v. 135. *Quam licet aspectus corpus cui turba premebat*] Sic cod. non tamen satis integre. Turbat praecipue vox *aspectus*, quae duplici modo corrigi potest: aut: *Quam* (quantum, quam diu) *licet*, *aspectans* (matrem): quod paullo debilius; aut *Quam licet, arreptum corpus cui turba t.*, quamdiu licebat ei, cujus arreptum corpus satellitum regiorum turba *teneret*: ita enim antiqui loquuntur. Ed. *Qua licet aspectum corpus, qua turba tenebat*, quod intelligi non potest.

Qui simul admonitus cratem conscendit, in igne
Intrepidus certaque fide sua membra locavit.
Conduntur flammae tepida remanente favilla
Corpusque illaesum tellus adaperta recepit:
Sancta quoque ad superos anima inviolata recessit.
At mater dubitans, gemitus an gaudia sumat,
Haesitat et querulo sic est sermone locuta:
„Quid nunc, dire, paras? jussis parebimus omnes:
Sed numera partus, custos ne subtrahat ullum!
Ac, licet ipse velis, non sum passura, tyranne,
Ut non isto omnes pereant certamine nati,
Temporis ista tui, mutes licet, horrida poena est,
Duraque dampnatis eadem sententia natis.
Sic graviora putas, si sunt graviora, minari,
Quodque meos cernis vultus, horrore teneris:
Gaudemus pariter, quoties decernis in istos.“
Ardet at ipse magis rabida rex concitus ira
Temptarique putat, ne, sicut caetera fratrum
Turba, ferat poenas; matremque hoc quaerere sentit.
Durat in exitium quartumque adducere natum
Poenae mox valuit; lassati namque ministri
Nec regis furias, nec regem ferre valebant.

v. 136. *in igne*] ed. *ignemque.*
v. 137. *fide*] christiano sensu.
v. 138. *conduntur*] ut sol conditur. cf. Virg. Georg. I 438. ed. *conciderant.*
v. 139. *corp. il.*] ed. *ill. corpus.* Hoc de pluribus martyribus narratur.
v. 140.] *cf. Virg. Aen. VI.* 719. II 791. ed. *sanctaque quae superest.* In ed. versus ita sequuntur 140, 138 et 139, sed cf. 296 — 8.
v. 143. *parebimus*] ed, *paremus et.*
v. 144. *numera*] ed. *munera,* sed cod. *numero.* Sententia amarior et dictio rectior fit legendo *numera. subtrahat* ironice. *ullum* ed. *ulla.*
v. 145. *Ac*] ed. *sed.*
v. 146. *omnes*] cod. *omnis* ed. *omnes nam pariter p. c. tanto.*
v. 147. *ista*] ed. *ipse. mutes licet*] *mutare* absolute dicitur, si quis in consilio capto non perstat v. Bentlej. ad Terent. Andr. I, 1, 13. *horrida poena est*] ed. *horride poenam.*
v. 148. *dampnatis*] ed. *quae sanctis.*
v. 149. *Sic* ed. *Sed. Sic* est h. l. quare fit ut cett. *putas* i. e. in animo moliris. ed. *paras. minari* ed. *minaris.*
v. 150. *teneris*] ed. *teneri.* Quare fit, ut tibi videaris graviora minari, nihilominus tamen horreas, quoties vultum meum aspicis: nos vero *Gaudemus pariter* cett.
v. 151.] ed. *gauderes partem, istos* ed. *istam.*
v. 152. *ipse*] cod. *ipsae.*
v. 153. *Temptarique*] ed. *Contemnique,* quod ab eo profectum, qui poetam non intelligeret. *ne sicut* ed. *sicuti nec.*
v. 154. *matremque hoc*] ed. *matrem hoc quoque. quaerere* studere, tentare.
v. 155. *durat*] ed. *duraque. adducere* ed. *producere.*
v. 156. *poenae mox*] ed. *pene manu. valuit,* cod. et ed. legunt *voluit.*
v. 157. *valebant*] ed. *volebant.*

Pro pudor! erubuit vultus ostendere matri
Natus et attonitam mentem confundere coepit.
Hunc postquam stantem submisso lumine vidit,
Talibus aggreditur dictis monitura timentem!
„QVARTVS ET A PRIMO PARTVS MIHI, QVARTVS ET IMO,
Quae nunc verba tibi, quae possum dicere, nate,
Hoc nisi, quod solum durata potentia tecum
Sit, simul et virtus et sanctus originis auctor?
Illi debemus regi, quodcumque rogamus:
Ille dedit nobis Abraham cum semine sancto,
Per quem nobilitas, per quem genus omne probatur,
Quod manet in domino: sanctus cui nascitur Isac
Tunc, cum jam nullum natum sperare senectus
Sponte sua poterat, sterilis quia Sarra manebat:
Illa tamen peperit generisque propagine coepta
Ex insperato remanent tibi, Sarra, nepotes,
ESAV et patria deductus orgine IACOB
Quos scimus partu geminos peperisse Rebeccam.
Hinc sumus; hinc orimur; genus hoc tibi, nate, petendum est.

v. 159. *attonitam*] quod et metrum et sententia legi praecipiunt, cod. *attonita mente.*

v. 160. *stantem*] Credo hic glossam expulisse genuinam lectionem *mater*, quod certe multo melius Sic saepius in codd.

v. 162. Ita correxi codicis scripturam *quartus es a primo ; artus mihi, quartus et infans,* quae sententiam praebet absurde *ταυτολόγον*, neque eum seqq. coëuntem. Emendationis dux mihi erat ed., quae quod exhibet, *a primo quartus partus, mihi quartus ab imo.* pessime afficit aures vel rudiores, ut nostrum adeo poetam a tali dedecore abstinuisse facile tibi persuadéas, eadem tamen lusus, quem quaesivit Hilarius, nobis servat articulos, avulsos quidem codici per glossas. Tales nominativi pro vocativis in Virgilio et aliis reperiuntur et omisso *qui es* explicandi sunt.

v. 164. *solum*] ed. *coeli. durata* pro *indurata* cf. Heins. ad Sil. 2, 463.

v. 165. *et sanctus*] eod. *sanctaeque* contra metrum.

v. 166. *rogamus*] cod. *negamus.* ed. *rogamur.* Sensus non aliter constat quam si legimus *rogamus*

v. 168. *nobilitas*] scil. *nostra.*

v. 169. *domino: sanctus cui*] ed. *dominum: sanctus cui.* cod. *domino sanctum: nam* cf. adn. ad v. 25. *nam* eod. *enim.*

v. 171. *Sarra*] ita eod.

v. 172. *Illa tamen*] ed. *attamen haec. generisque* ed. *generique.*

v. 174. *Esau*] ed. *Esaus. patria deductus origine Jacob* ed. *patrium deductus Jacob in unom. patria* eum emphasi dictum, explices *ex sancto Isaaco.*

v. 175. *scimus*] ed. *certum est. geminos*] ed. *gemino*

v. 176. *orimur*] ed. *morimur*, quod ortum ex hic orimur *est*] ed. sine *est.* Sensus: ad hujus generis sublimitatem exsurgas eoque dignum te praebeas.

Tu tibi pande viam: genitori accede piorum,
Quorum progenies totum dispersa per orbem
Invidiam patitur, dominum quia sola potentem
Mente colit, mixta nec turbae accedit iniquae.
Quid tibi cum tristi vultu? quid lumina terrae
Fixa tenes? caelum potius caelique parentem
Conspice! ne dubita, mater tibi prospera monstrat.
Quicquid id est patienter adi; comitare valenter
Turbam, nate, meam numerumque hortare sequentem!"
Nec dilecta parens, luctus et gaudia miscens,
Finierat claros monitus: cum luminis orbes
Ipse levat matremque oculis inteudere coepit;
Nil jam triste gerens, habitu vultuque fatetur
Se timuisse nichil, nisi tristia vulnera matris
Per partus divisa suos. Sicque ipse tenentum
Elapsus manibus cursu contendit in ignes.
Mira loquar: flamma illius non contigit ora,
Corpus ut exanime flammam superaret et ignes,
Ore patente tamen tacito quia spiritus iret,
Unde acceptus erat, pariter cum sanguine fugit.
Hoc ipso gavisa parens, quod qui modo tristi
Constiterat vultu, fretus mox pectore toto
Paruerit monitis et regis tempserit iras.

v. 177.] ed. *Tu tibi viam generis, quis in arce piorum*, et post *patitur* signum interrogationis. cod. *priorum*, sed leg. est *piorum* ob seq. *invidiam patitur, quia sola dominum colit.*

v. 180. *mixta*] ed. *mixtae accedit* ed. *accessit mixta*, fort. *dextra* mente h. e. non perversa, qualis est paganorum idola colentium.

v. 181. *terrae*] cod. *terram.*

v. 184. *id est*] cod. *inest. adi*] cod. *ad. comitare valenter*] ed. *consensibus auge*, a glossatore.

v. 185. *sequentem*] ed. *sequentum.*

v. 186. *nec dilecta*] ed. *nec decreta*, cod. *sic dilecta. miscens* ed. *mixta.*

v. 187. *cum*] cod. *tam*, ed. *tum.*

v. 188. *intendere*] notanda est haec dictio. Ed. habet *attendere*, quod nihil esse videtur, nisi explicatio cf. Plin. Ep. 6, 19.

v. 189. *habitu vultuque fatetur*] ed. *habitus vultusque fatentur.*

v. 190. *nichil*] ita scribunt codices illius temporis, ed. *nihil.*

v. 191. *per partus divisa suos*] quorum (vulnerum) unusquisque ex filiis partem ei attulit, ita vulnera divisa quasi per dantes. *ipse* cod. *ipsa*, sed legendum *ipse tenentum* ed. *sed et ipse citato.*

v. 192. *contendit*] ed. *conscendit.*

v. 193. *flamma illius*] ed. *non flamma comas.*

v. 194. *exanime*] e longa syllaba ob seq. *fl.* ed. *ex. ut corp. flammae superaverat ignis.*

v. 195. *tacito quia*] ed. *tacite qua.*

v. 196. *fugit*] ed. *fudit*, cf. Virg. Aen. IV. 621.

v. 197. *gavisa*] ed. *est gavisa.*

v. 198. *mox*] ed. *quod. toto*] ed. *tuto.*

v. 199.] ed. *regis contemptor et*

Sic est orsa tamen, cum rex dubitaret in illos,
Qui superant (gemitusque darent, pia turba, ministri
Regem execrantes tacito sermone requirunt):
„Protrahę; quid dubitas? nulli jam parcere debes:
Nec potes, ut cupias; decretum rumpere noli.
Appello regem, totum qui temperat orbem,
Cui mare, cui coelum, coeli cui sidera parent:
Quod nisi producis, timor est: jam segniter haeres,
Jam sentis quae regna petat, quae gloria nobis
Parte in utraque manet, si jam tu parcere nolis.
Nam quoscumque tuo jussisti excedere regno,
Saevitia comitante, tuum vicere furorem:
Nempe tuum, laetique manent in sede piorum
Forsitan hoc mortem credas, furiose tyranne;
Vita est longa magis regnoque potentior isto,
Quod regis, et cujus extrema in parte moraris,
Hos quoque si metuis, superant aetate minores,
Contemptuque simul vincunt tua regna, superbe:

irae, quod non indocte fictum ad normam illius *pateris libamus et auro*, Virg. Georg. 2, 192.

v. 200. *est orsa tamen*] ed. *exorsa parens. in illos*] usitatius est *in illis*, sed ob infestum regis animum *illos* etiam dici poterat.

v. 201.] ed. sine par. *gem. daret p. t. ministri*] cod. *ministris*, sed nominativum reponendum esse sententia ipsa persuadet, quae παρενθετικῶς sumi debet. *Ministri, pia turba*, certe non tam impia et crudelis ac rex, *requirunt* i. e. postulant, *tacito sermone* i. e. nutu, ut fratres gemitus dent regemque ut sibi pareat, exorent.

v. 202. *execrantes tacito*] ed. *execrantur tanto. requirunt*] ed. *querentes*.

v. 204. *noli*] ed. *nulli* pro *ulli*.

v. 206. *cui*] ed. *qui*.

v. 207. *producis*] Credo leg. *perducis*, ad finem peragis, nisi potius idem est quod *protrahis* in v. 203, ut est v. 236. *timor est* Gregor. Nazianz. Fr τοῦτο φοβούμενοι μόνον, μὴ ἀπείπῃ κολάζων ὁ τύραννος καὶ ἀπέλθωσί τινες αὐτῶν ἀστεφάνωτοι. *haeres*] cod. *haerens*, sed lege *haeres*, ob periodi naturam; ed. *segnius instas*.

v. 208. *quae regna*] ed. *quem poena, quae gloria*] ed. *jam gl.*

v. 209. *manet*] Aliud exemplum similis modorum mutationis v. in Hor. Od. 1. 8 ab in. *si jam tu parcere nolis*] ed. *liceat producere nullis*.

v. 210. *tuo regno*] ed. *tuum regnum. excedere* scil. morte.

v. 211. *saevicia*] ed. *saevicio*.

v. 212.] desunt hi duo versus in editione sed non recte, ut puto, ob emphasin in *tuum* et ob seq. *laetique*.

v. 213. *mortem*] ed. *morem. hos* scil. quod patimur.

v. 214.] ed. *longa mag. vit. est.*

v. 215.] ed. *extrema hujus jam p. mor.?* *cujus* long. syll. in ictu.

v. 216. *hos*] cod. *nos*.

v. 217. *contemptuque*] cod. *contemptaque*, longa syllaba in ictu. *vincunt*] cod. *vici*.

Sed perage imperium, nec partus divide nostros:
Hos quoque da flammis et viribus utere regni.
Mortalis tamen es, nec in aevum regna tenebis!"
Concipit Antiochus furias saevusque tyrannus
Aestuat et gemitus inter sua pectora volvit.
Consentit cum mente dolor tristisque gravatos
Attollit vultus et talia verba profatur:
„Haec tua libertas et dira potentia linguae
Atque hic, quem tumida portas cervice rigorem,
Sentiet irati regis quid tempora possint,
Si nondum es saciata malis et fingere temptas
Laeticiam luctusque tuos in gaudia vertis.
Non mutabo necem; gaude, laetare, triumpha,
Dummodo sic vincas, ut sis suprema tuorum:
Sic furiosa animis natorum funere gaude.
Hos quoque do flammis; hoc nec mutare potestas
Ulla potest; decreta manent; laetare superstes
Natis orba tuis et ne mea jussa morentur.
ORDO SVOS PERAGAT CVRSVS: PRODVCITE NATVM,
Ne vani pereant ignes dubiusve videri
Rex possit: certe timor est mihi femina nullus."
Praecipuus de gente tua produceris, ore
Et specie mirande puer, cui pectore virtus
Firma manet. Jamque hunc poteras vel vincere regem.

v. 222. *aestuat*] ed. *exhibet. inter*] ed. *intra*
v. 223.] *mente* hoc loco pro *ira*, ut apud Publium Syrum versu: Brevis mens ipsa memoria iracundiae est, quem corrigere non debebat Gruterus, cujus conjecturam recepit Bothe v. 118. et nonnunquam apud poetas. *dolor* ed. *color*
v. 224.] cf. Virg. Aen. I. 661.
v. 225. *dira*] eod. *dura*.
v. 227. *tempora*] eod. *tempore* Tempora irati regis eleganter pro tempora irae regiae. Quodcum non intelligeretur, interpolatum in ed. *vulnera* pro *tempora* reponendo. *possint* sc. valeant.
v. 228. *es*] eod. *est*. *saciata* ita eod. *temptas* eod. semper pro tentas.
v. 232. *animis*] ed. *nimis*. *gaude* ita legendum puto ob sententiam. eod. habet: *gaudet*, ed. *gaudes* cum seq. interrogationis signo.
v. 234.] ed. *ul. p. decr., modo tu vive sup.*
v. 236. *natum*] cod. *natus*. Sriptor codicis nostri fortasse hoc modo legebat voc. VTV' h. e. quintum.
v. 237. *ne vani pereant*] ed. *ulli nec parcant.*
v. 238.] ed. *dubiumve videre rex post ista reor, t. timor causa* timoris.
v. 239. *produceris*] eod. *perduceris. ore* ed. *index*.
v. 240. *et*] ed. *quam*.
v. 241. *Jamque hunc poteras*] ed. *jam quae poterat.*

Ad quem sic placido mater sermone locuta est:
„Si dare complexus matri tibi, nate, liceret,
Confiteor soli post vulnera, nate, dedissem:
Sed me dura vetat tristisque potentia regis;
Sed neget amplexus, dum sit vox libera nobis
Et liceat meminisse dei legemque tenere.
Non a rege datam, quam sed deus arbiter orbis
Tradidit et mundi rector; Mosesque petitam
Accepit populoque dedit, cui maxima laus est
Nosse deum, meritum cui nos debemus honorem.
Tu modo ne dubites monitis parere parentis:
Sit vigor et virtus penitusque in pectore toto
Mens maneat jam plena deo; sit fortior aetas
Quam regem sperare fuit superare jubentem.
O quanta est virtus, quanta est fiducia forti.
Sed jam ne dubites medias pervincere flammas;
Victor eris; mihi crede, puer, victorque redibis,
Ossibus et validis miscebunt corpora nervis;
Servatas animas iterum in nova viscera reddent.
Sed ne forte tamen rapidus te terreat ignis,
Fratrum sume animos aeternumque invoca numen.“
Jussa facit tacitusque deum testatur et orat
Murmure quo poterat. Puerum non impedit aetas,
Non timuit cratem expositam, matrique volenti
Paruit, et dicto citius superirruit ignes.
Cesserunt flammae; cessit dolor omnis, et una
Corpus et ignis erat; corpus superaverat ignem,

---

v. 246. *neget*] cod. *denegat.*

v. 248. *datam, quam*] cod. *data e.*

v. 250. *cui*] ed. *quam.*

v. 251. *meritum*] ed. *merito. debemus*] ed. *tribuamus.*

v. 252. *dubites*] ed. *dubitas.*

v. 253. *sit*] ed. *sed.*

v. 255. *regem*] ed. *regi. fuit* sicut *fore* apud Graecos. cf. Drakenb. ad Sil. 9, 451. *superare jubentem*] ed. *sperare jubentis.*

v. 256. *forti*] ed. *fortis.*

v. 257. *jam ne dubites medias pervincere*] ed. *tu quid dubitas medias evincere.*

v. 259. *miscebunt* ed. *miscebit. nervis* ed. *nervus*, cod. *nervi* leg. videtur *nervis.*

v. 260. *servatas*] ed. *servatasque. reddent*] ed. *reddet. reddent* pro *indent*, sed ob sententiam adjectia supervacua *iterum.*

v. 261. *rapidus*] cf. v. 68.

v. 262. *invoca*] ed. *inspice.* De *invocă* v. Burm. ad Anthol. Lat. T. 2. p. 242 sq. et alibi. *numen.* cod. *nomen.*

v. 263. *testatur*] ed. *testatus.*

v. 265. *Non timuit cratem expositam*] ed. *amplius haud timet ille necem.*

v. 266. *superirruit*] vocabulum bene formatum. *ignes* ed. *ignis.*

v. 268. *superaverat*] ed. *superiverat.*

Spiritus ante tamen placidas superaverat auras.
Laeta dolet tacite mater, pressoque dolore
Tristiciam luctusque suos in gaudia vertit.
Interea trepidat et curas corde volutat,
Non de praeteritis, sed de pueribus annis,
Qui superant, ne forte negent, ne forte timorem
Concipiant animo, regique accedere malint;
Quo minor est aetas, major metus! Anxia secum
Ducit, heu, curas; etiam spes ac timor una
Luctantur, matrisque piae per viscera currunt.
SPES TAMEN EST, MELIOR, NATVM VT **PROCE-**
DERE VIDIT,
Et procul exultans: „Video quid possit in isto
Spes conferre mihi; vultus agnoscere nostros
Debet et hic fratrum numero parere suorum.
Forsitan hunc solum puerilia pectora tangant
Indigneque ferat, quod sic, velut hostia, detur.

v. 270. *dolet*] cf. Hom. Il. 6, 484 δακρυόεν γελάσασα. Xen. Hell. κλαυσιγέλως Soph. Elect. γε; ηθὸς ἔπει δάκρυον ὀμμάτων ἄπο. Od. 16, 214. 19. 471 etc. ed. *pressitque dolorem* pro *pressoque dolore.*

v. 271. *Tristiciam*] sic cod., ed. *laetitia.*

v. 272. *trepidat*] In tali vocabulo saepe reperitur brevis syllaba hoc loco apud Ovid., quod eo facilius fieri poterat, cum haec tertia persona saepe apud Plautum longa sit et analogia ex Sanscrito demonstret, eam ab origine longam fuisse. Hic versus deest in editione.

v. 273. *de puerilibus annis*] quasi dicas de pueris, aetatem pro hominibus qui sunt ea aetate, cf. Liv. 27, 51. Suet. Cal. 4. Hor. Od. 1, 35, 34. Epod. 16, 9. Ov. Fast. 6, 639, 1, 246. Symm. ep. 9, 24. Tac. H. 3, 68. A. 13, 16 et al. loc. ap. Forcell.

v. 275. *animo*] ed. *animis. accedere* cod. *ascendere*, sed lege *accedere*: ab regis partibus stare.

v. 276. *anxia secum*] est anxia in animi sui penetralibus, ne triumphum paret regi.

v. 277. *Ducit*] longa syllaba, ut saepe ante interjectionem *Ducit heu.* Fortasse tamen praestat scribere *Ducit ĕheu*: de qua mensura hujus interjectionis v. Burm. ad Virg. Ecl. 2, 58 comicorumque usus poetarum eam plane confirmat. Ducere curas fortasse dictum ut suspiria (imo de pectore) ducere. Nihilominus et editionis lectio habet quo commendetur. *Dividit curas*, quia de pluribus filiis erat sollicita, ut ap. Virg. A. 4, 285 legitur: *animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc.* Sic Cat. 62, 15. Luc. 2. 689. Hor. Od. 1, 15, 14. Epod. 11, 16. ed. *dividit et.* ed. *et spes et sic* pro *etiam spes ac.*

v. 278. *currunt*] ed. *cursant.*

v. 279. *procedere*] ed. *producere.*

v. 280. *exultans*] ed. *intrantem. video* ed. *videam.*

v. 282. *fratrum*] ed. *frotrum et.*

v. 283. *tangant*] ed. *tangent*, cod. *tangunt.*

v. 284. *ferat*] ed. *feret.*

Alloquar et paucis conabor dicere verbis,
Sit memor ut potius generis quam temporis hujus;
Si te nobilitas generis, si tangit origo,
Respice, nate, tuos; Israel quoque respice, nate.
Noli annos numerare tuos, puer; incipe forti
Pectore ferre deum: tradent hoc saecula saeclis,
Quod tua det fortis aetas exempla futuris
Temporibus; da, nate; precorque, quod amplius hoc est:
Cogita quae fugias et quam meliora petantur;
Non te sollicitet stolidi fallatia regis,
Sed crescas ipsi nunc in contraria victor.
Spiritus extinxit flammas; sic deinde voratum,
Quod dederat, corpus tellus adaperta recepit,
Sanctaque quae superest anima inviolata recessit.
Quamvis lassa parens, per tot sua vulnera victrix,
Procidit in faciem pariter manibusque supinis
Has habuit voces et talia verba locuta est:
„Qui tenes imperium caeli terraeque marisque,
Sidera qui caelo, qui das animantia terris,
Aequoribus pisces, avibus qui temperas auras:

v. 286. *temporis*] ecclesiastico sensu, rerum humanarum, hujus vitae.

v. 288. *Israel*] ed. *et nos.*

v. 289. *numerare*] ed. *memorare. puer; incipe forti* ed. *pu. inc. verum.*

v. 290. *ferre deum*] i. e. ferre dei consilia, sustinere quae ille tibi injungit discrimina.

v. 291. *quod*] pro accus. c. inf. saepe in his scriptoribus, cf. Gesner. ad Fabri thesaurum sub voc. *fortis is* sub ictu. ed. *qu. tu forte petis: des nunc ex.*

v. 292. *da, nate; precorque, quod*] ed. *mundo quod ames nil.*

v. 293. *cogita*] ed. *respice!* v. cit. ad v. 262.

v. 294. *non*] ed. *nec. stolidi* ed. *miseri. fallatia* ita cod.

v. 295. cod. *sed crescant istaec nunc in contraria. Victor* etc., corruptio, ut videtur.

v. 296. *extinxit* etc.] ed. *extinctus flammis sic deinde recessit:* cf. v. 138 — 40. *voratum*] cod. *vocatum*, conjeci *voratum* (devoratum flammis) ob seq. *anima quae superest.*

v. 299. *per tot*] cod. *perque et*, legendum: *haec sive tot. victrix* ed. *regem.*

v. 300. *Procidit in faciem*] ed. *pertulit, ast animo*, male intellexit; *tamen*, ad Quamvis praecedens relatum, suppleri debet ad. seq *Has.*

v. 301. *habuit voces*] sicut orationem habere. *locuta* cod. *loquta.*

v. 302.] Sequitur pulcherrimus locus, quocum conferas similia Ovidii et Lucretii loca. *tenes* ed. *regis.* *tenes* altera perperam correpta, ut fit apud sequioris aevi poetas: e. c. in epigramm. in Pithoei coll. lib. III, p. 103, v. 16: ut plures uno crederes ore loqui. ubi plura ejusmodi collegit Burmann. vol. 2. p. 19.

v. 303. *caelo*] ed. *caelis.* cod. *animalia.*

v. 304. *temperas*] Sic bene antiqua manus. Recentior fortasse, ut metricum vitium tol

Ad te, magne, meae mentis fiducia surgit,
Qui chaos immensum caeca caligine mixtum
Dividis in partes et das noctemque diemque
Lunamque ac solem, vario quos tempore semper
Nocte dieque jubes lumen praebere per orbem.
Post haec das hominem, cujus de semine mundi
Completur mortale genus, cui lingua loquescit,
Dissona per gentes, sapor est tamen omnibus unus.
Sed quid mutarit meritumque hominumque loquelas,
Longa referre mora est: coeptis insistere certum est.
Te mare divisum virga tenuisse fatemur,
Dum pede per siccum populus transcenderet aequor,
Aegypti fugiens mortes regemque Pharaon,
Qui sibi sanctorum numerum servire jubebat,
Quem tua majestas Mose duce transtulit omnem
Servatumque tua tutum virtute diremit,
Terra dabat fructus, quos te cogente ferebat.
Et sitis ad requiem quaesita est lympha latebris.
Humor erat nullus: cuncti clamore querentes
Poscebant Mosen, daret ut sitientibus undas,
Ad quos ille brevi sic est sermone locutus:

leret, **carrexit sine sensu** *temporis* ed. habet: ***ventum qui verberat.***

v. 305.] ed. ***ad te prima mei cupidae fid. s.***

v. 306. *immensum*] ed. *implicitum. mixtum*] ed. *miscens.*

v. 308.] ed. *lun. et rapidum solem, qui tempora servent:*

v. 309.] hic versus deest in editione, quae causa est, cur praecedens interpolaretur.

v. 310. *Post haec das hominem*] ed. *et post haec hominem. mundi* ed. *mundus.*

v. 311. *cui* ed. *tum. loquescit* vocabulum novum, non inficete fictum, sed ed. habet *liquescit.*

v. 312. *dissona*] notandus est hic primus vocabuli sensus pro: varie, diverse sonans sine mala notione adiuncta, quae ei tribui solet. cf. Lucan. 8, 289 et quae comparat Cort., quibus adde Plin. Pan. 56, 6.

v. 313. *quid mutaret meritumque*] ed. *qui mutavit meritis.*

v. 314. *Longa referre mora est*] ex Ovid. Metam. V. 463. sumtum.

v. 315. *Te*] ed. *tu. tenuisse fatemur*] ed. *volvisque tenesque.*

v. 317. *fugiens mortes*] ed. *effugiens mortem. Pharaon*] Prud. Cath. 12, 141

v. 319. *omnem*] cod. *amne.*

v. 320. *tutum*] ed. *totum. virtute diremit* in variis nempe Palaestinae regionibus; ed. habet *redemit* Memorandum *tua virtute* de deo dictum: sed antiquum hoc et optimae notae. v. Lindem. ad Plaut. Capt. II 2, 74 ed. ma[illegible] Quod ideo monemus, ne quis tentet *sua virtute.*

v. 321. *ferebat*] *serebat* a pr. manu.

v. 322. *Et sitis ad requiem quaesita est*] ed. *occupat et totis quaesitam.*

v. 323. *clam. quer.*] ut in hebraica lingua.

v. 325. *locutus*] cod. *loqutus.*

Credite posse deum, quicquid peteretis ab illo,
Qui potis est virgâ hac amnem defindere saxo;
Ut veniant fontes tota regione negati;
Percussitque simul dictu velocius omni,
Et misit saxum fontes dulcedine prima.
Confiteor, totus cum sit tibi debitor orbis,
Tu, quicquid possunt gentes, potes omnia solus
Et quod non capiunt gentes, capis omnia solus.
Tu mortale genus curas onerasque levasque;
Te precor, attonita confirma mente timentem,
NE DESIT FRATRVM NVMERO MEVS INFIMVS INFANS
Ignarusque sui; quem jam procul ecce teneri
Conspicio, turba circumveniente frequenti.
Hunc propter solum lacrimas mihi commovet aetas:
Unus enim superest, de quo mihi maxima cura est,
Ne tener ignoret, qua sit de gente creatus.
Hunc ego si possem secreto apprendere solum,
Blandirer, patriumque genus patriamque docerem;
Sed quacumque tamen potero solacia mittam.
Parve puer, tenerisque tuis mihi carior annis,
Carior es regno, vita quoque carior ipsa.
Tu potes in totum victricem reddere matrem,

v. 326. *peteretis ab illo*] cod. *petentis*, sed eraso *n*; erat *peteretis*, i. e. petere velletis, quicquid ab eo petere vobis in mentem venire posset. ed. *peticritis illum.*

v. 327. *defindere*] cod. sine sensu *defendere*, lege *defindere*, i. e. amnem findendo e saxo elicere, ed.: *Sed tamen hanc virgam durum diffindere saxum.*

v. 328. *negati*] ed. *morati.*

v. 329. *omni*] ed. *amnis.*

v. 330. *Et misit*] ed. *emisit.*

v. 332. *omnia*] cod. *oma* in hoc et sequenti versu.

v. 333. Deest hic versus in ed. Sed lusum imitatur Ovidianum, qualis Met. 1, 325 s. et alibi.

v. 334. *curas*] omissum in cod. Scripsisse Hilarium puto *curis*. *onerasque*] cod. *honerasque.*

v. 335. *confirma mente*] cod. *mente conf.*, cujusmodi vitia jam vidimus; sed his mederi poteris cum ed. facili transpositione: *confirma mente.*

v. 336. *meus*] cod. *MS. infimus* pro *minimus*, ut saepe apud seriores.

v. 337. *ignarusque sui*] horum verborum interpretationem praestat v. 341. *jam*] cod. *ja.*

v. 339. *mihi*] ed. *quas.*

v. 340. *mihi*] cod. *michi.*

v. 342. *apprendere*] cod. *apprehendere*, quod vel pronuntiandum vel scribendum est *apprendere*. Ceterum hoc sensu simplex *prendere* frequentiore in usu est.

v. 343. *docerem*] cod. *doceres.*

v. 344. *Sed*] cod. *si*, legendum est *sed*. In codd. *sed* ita scribitur *sj*, unde *si* ortum. *quacunque*] se, ratione cod. *quaecunque. solacia* sic cod.

v. 345. *teneris — annis*] ob teneros annos, aliter atque ablativi in seq. v.

v. 346. *es*] cod. *e.*

Tu finis partus finisque futura malorum;
Si te cura mei tangit, si matris honorem
Mente pia retines quamvis sis (parvus) et infans,
Hoc magis aure avida dictis adtende parentis.
Primum disce, puer, quid sis post ista futurus,
Si patiens fueris, (quod te mihi, care, futurum,
Facta docent), fratrum sanctorum in parte manebis
Et requie securus eris, dum saecula cursus
Saeva suos peragunt. Finito tempore longo
Hanc lucem repetes aeternaque regna videbis,
Non maculata malis, sed erit concordia sanctis;
Nec morti locus ullus erit, nec bella citatis
Committentur equis, sed pax aeterna manebit.
Matri crede tuae, quae te cupit esse salutis.
Heu mihi cur tristi vultu mea dicta repellis?
Quid refugis? miserere mei, miserere tuique!
Si liceat, prior ire velim: vetat ecce! Sed ibo
Tunc, cum victorem te videro, nate, malorum.
Quid sperare jubes? Solus mea dicta moraris?
Solus adhuc aequum renovas mihi, nate, dolorem?
Annuis an dampnas et me fratresque genusque?
Quod ne forte velis, oro te et deprecor. Audi.

v. 348. *partus*] ed. *parvus*. *futura*] ed. *future*.
v. 349. *honorem*] ed. *odorem*.
v. 350. *pia retines*] ed. *create tenes*. cod. *quam mssis et infans*, ruente metro pariter et sensu. Voculam deesse apparet, quam sententia duce supplevimus. Editio quod exhibet *quamvis et carus, et infans*, huic loco non cunvenit.

v. 351. *avida*] ed. *pia*.

v. 353. *quod*] ed. *tunc*. *te* deest in cod., sed parvum spatium est inter *quod* et *mihi*; fortasse *mihi* cum *care* conjungendum est.

v. 354.] Sequitur pulcherrimus locus, quem compares cum simili loco Greg. Naz. *manebis* ed. *locatus*. Dogma de resurrectione et aeterna beatudine. κοσμός τε γὰρ ἄλλος ἡμῖν, πολὺ των ὁρωμένων ὑψηλότερος τε καὶ μονιμώτερος. Greg. Naz. l. l.

v. 355. *cursus*] ed. *rursus*.

v. 356. *longo*] ed. *certo*.

v. 357. *repetes*] cod. *repetens*.

v. 360. *Committentur*] cod. *comitentur*, ed. *exercentur*.

v. 361.] ed. *matrem cr. t. semper cupidam esse salutis*.

v. 362. *Heu*] ed. *haec*. *mea*] ed. *sic*.

v. 364. *vetat*] ed. *vetor*. *ecce*] Antiochus ergo nutu signa dederat.

v. 365. *te videro*] ed. *cernam te*.

v. 367. *aequum renovas*] cod. *etiam revocas*.

v. 368. *et*] ed. *quoque*. *me* non legitur in cod., sed inserendum hic esse, et versus docet et sententia. *fratresque*] cod. *fratrisque*.

His ego te parvum nutrivi, nate, papillis:
His precor, et lacrimas te propter, nate, profundo:
Ne remanere velis: remanebis solus et orbus;
Non tibi jam frater est ullus; solatia vitae
Quis dabit? heu solus matrem confundere temptas
Et genus et patriam, si talia dicta recusas:
O quanto melius vitam servabis in aevum
Si facias tandem, quicquid fecere priores!
Audenter depone metus, depone timorem,
Concipe mente deum: vires dabit ille viriles.“
Haec dum mater agit, puer ad praecepta parentis
Respicit et solum ut se videt esse relictum,
Sustulit ad caelum vultus palmasque supinas,
Et sic voce petens aeternum numen adorat;
Quem secum sensu pariter nutuque rogabat,
Vinceret ut regem, saevos ut vinceret ignes.
Atque ita non segnis, nec pro puerilibus annis
Prosilit intrepidus, medios delapsus in ignes,
Et pugnat victor, donec remearet in altum
Spiritus et fratrum peteret secreta priorum.
Dum puer ista gerit, solverunt gaudia matrem:
Jamque ut erat lassata malis, jam voce negata
Spirat ovans; interque manus conlapsa suorum
Concidit exanimis, resolutaque membra quierunt.

v. 371.] ed. *te per ego has precor et fletus lachrymasque meorum.*

v. 372. *Ne remanere*] ed. *ut remeare. remanebis*] ed. *remeabis. orbus* ed. *huius.*

v. 373. *frater est ullus; solatia*] ed. *fratres dederint sol. Frater est*] Noli haec legere *frăter est*, sed ex pronuntiatione vulgari *frātēr'st.*

v. 374.] ed. *dedecoras fratrum sanctissima nomina, matrem.*

v. 376. *O quanto*] ed. *heu quando. aevum* hoc loco pro: aeternitatem.

v. 377. *facias tandem*] cod. *facis ante deum*, quod esset pro: coram deo.

v. 380. *agit*] fortasse legendum est *ait.*

v. 381. *solum ut*] Proclive foret corrigere *solum quum*, sed praeter sonum minus suavem obstat libertas vel optimorum poëtarum in hac versus sede, de qua plures dixerunt.

v. 382. *ad*] cod. *in.*

v. 383. *sic*] h. e. hoc corporis statu, non his verbis.

v. 384. *Quem secum sensu pariter*] ed. *sensu et sic pariter secum.*

v. 385. *ut*] ed. *et*

v. 387.] cf. Virg. Aen. II 377 sensit, medios delapsus in hostes.

v. 388.] ed. *vicit quicquid erat sic vitam ut iret in altam.*

v. 389. *priorum*] ed. *piorum.*

v. 392.] excelse dicta: *voce negata spirat ovans*, ed. *suspirans. conlapsa* ita cod.

Sic ipsa et nati sanctorum in parte recepta est.

EXPLICIVNT VERSVS HILARII IN MACHABEIS.

v. 394.] Dissentiunt in genere mortis matris ferme omnes alii cf. Sixt. Senens. Bibl. V. annot. 284 et Synaxarium ex Menologio, jussu Basilii Imper. collecto mens. Aug. die 1. καὶ ἡ αὐτῶν μήτηρ Σολομωνὶς αὐτομάτως εἰς τὴν κάμινον εἰσελθοῦσα τοῖς ἰδίοις ἐπαπέθανε τέκνοις. Greg. Naz. or. προσετίθει τοῖς παισὶν ἑαυτὴν ὡς ἐπὶ νυμφῶνα τὴν πυρκαϊὰν δραμοῦσα. . ταύτην γὰρ κατεκρίθη καὶ οὐδὲ τοὺς ἄγοντας ἀναμείνασα, ἵνα μηδὲ σῶμα ψαύσειεν ἄναγνον, ἁγνοῦ καὶ γενναίου σώματος. Hoc sacrificium majus ac praestantius fuisse illo Abrahae dicit idem l. l. Sed in Hilario, ut jam supra deprehendimus, vestigia ejusmodi rerum tractationis, quae meliore saeculo digna esset, ita hunc finem quivis poëticarum venustatum arbiter vere sublimem esse et magnifice excogitatum judicabit. Tantum enim Maccabaeorum genetrix animi constantiam per tot filiorum caedes exhibuerat, ut poëta lenitatem mortis tanquam praemiorum pro virtutibus suis accipiendorum initium aptissime finxisse videatur. Quae ratio si forte ab ipso profecta non est, nihilominus ex variis narrationibus eam perite elegit, quae poëmati suo egregie conveniebat.

Juveni doctissimo Georgio Friderico Henrico Beck S. D. Fridericus Duebner.

Magno me gaudio affecerunt quae postremis Tuis mihi significasti. Graecis quidem Romanisque literis Te olim adsidue studuisse probe tenebam; sed ad Orientales inde animum transtulisti, Hebraicas, Arabicas, Sanscritas aliasque et ad rerum divinarum doctrinam, in quibus quantum profeceris, Ephororum Tuorum testimonio constat; hodiernas autem Europae linguas ita coluisti, ut per annum integrum in Britannia et per quatuor menses in Francogallia genuinis earum sonis aurem imbueres: et ecce antiquis literis Te subito redditum! Neque notulas aliquas scripsisti in locos sexcenties tractatos, sed cam Tibi commentandi materiam elegisti, ad quam ampliore opus esset lectione; illud tamen praecipue gavisus sum, Te descriptioni Asiae apud Orosium, in qua tam multa dubia, tam multa obscura, ex orientalibus fontibus lumen allaturum. A quo incepto laudabili ne Te sinas deterreri, eventus auspicium habes Chr. Lassenii insignem commentationem de Pentapotamia Indica *). Ingentem vero difficultatem Tibi objiciet scriptura Orosii in edd. aeque ac libris scriptis incredibile quantum depravata. Parisinis codd. inspectis ipse vidisti quantopere Santo-Crucius decepérit lectores magnam de iis spem injiciens; sed de integris nominibus Orosio e codd. restituendis vereor ne abjicere jubeant omnem quae modo dicturus sum. Multum licet quaerens in Chronographis sexti saeculi et insequentium, qui Orosium strenue expilarunt, paucissima inveni eaque haud magni momenti, unde Hormestam dare possimus emendatiorem: omnia fere concinunt cum codd. Orosii: incredibile autem est in diversis operibus eadem verba eodem modo librariis fuisse corrupta, et apparere videtur jam sexto saeculo scriptorem ita fuisse lectum, qualem meliores libri hodie exhibent. Porro consului Alfredi Magni regis translationem Anglosaxonicam, (pu-

*) Eam ante Justinum editum a me lectam non esse aegerrime fero. Aliter statuendum fuisse de S a n g a r i d i s sive potius G a n g a r i d i s XII, 8. §. 9. sero intellexi ex p. 16. 18, aliter de quibusdam XIII, 4; aliter de Apollodolo et Menandro, prol. XLI, qui Bactrianae erant, non Indiae, reges: v. Lass. p. 48 sqq.

blished together with an English translation from the Anglosaxon by Daines Barrington. Lond. 1773) ut ex antiquioribus Codd. factam, quam qui hodie in bibliothecis servantur. Paucula inveni digna, quae curatius excutiantur: Codicum illo tempore depravatio eadem quae hodie. Hoc addo: editorem Anglum Saxonica male intellexisse ac saepe invertisse potius quam vertisse: quare si uti eo codice velis, Saxonica, suadeo, inspicias ubique. Nihilominus habere videor unde aliquot certe nominum in Orosio restituendorum spes affulgeat. In magnis illis glossariis, quae ex glossis ad margines scriptorum adjectis et grammaticorum libris, saeculo, opinor, sexto vel septimo ineunte, concinnata sunt, recepta etiam reperiuntur urbium, regionum, virorum nomina ex Orosio ducta: in iis autem hic illic inveni insignem lectionis varietatem, quae exstitisse illo tempore exemplaria ab nostris diversa persuaderet: plene enotatam Tecum brevi communicabo. Ut illuc redeam: rem in Te suscepisti honestam et utilem, sed perdifficilem: vulnera nulla in antiquis scriptoribus aegrius sanantur, quam quae propriis nominibus inhaerent; nusquam majora sui vestigia reliquit temporum barbaries. Cum eadem (nam scire cupiebas quid nunc cum maxime agitem) mihi quoque quotidie confligendum est, non depravante solum, sed sinistre et infecte imitante veterum scriptorum monumenta. Quando enim a grammaticis antiquis (quorum opuscula aliquot haud exigui momenti inedita detexi) et magnis glossariis respiratione aliqua opus est, Catalectorum et Anthologiae latinae Codd. qui in bibl. Regia habentur antiquissimos perscrutor. Nosti me jam olim hac re fuisse delectatum et e patria bibliotheca ante quadriennium protraxisse epigrammata illa, quae superiore anno A. Majus e Vaticanae meliore codice vulgavit. In his igitur Catalectorum Codd. saepe inveniuntur carmina barbarorum illorum temporum, quae ab ineunte fere sexto saeculo incipere aliis accuratius indicavit Niebuhrius. Nihil eos conatus ab omni poesi alienissimos morarer, nisi aliqui aperirent quibus modis per illa saecula in legendis poetis antiquis fuerit versatum; quae tum habita pulchra; quarum rerum tentata imitatio. Dabo exemplum. Meministi, Virgilius aliique poetae, cum dicendi erant plures idem fecisse diverso modo, quam suavi numerorum et verborum ordinis varietate enumerationem condierint et evitarint arte quod in re erat frigidius. Idem ut efficerent posteriores, vide qua ratione vires exercuerint. Habentur hi versus in Cod. X saeculi:

Et belli sonuere tubae: violenta peremit
Hippolyte Teuthranta, Lyce Clonon, Oebalon Alce,
Oebalon ense, Clonon jaculo, Teuthranta sagitta;
Oebalus ibat equo, curru Clonus, at pede Teuthras;
Plus puero Teuthras, puer Oebalus, at Clonus heros;
Figitur ora Clonus, latus Oebalus, ilia Teuthras;
Epiri *) *Teuthras, Moesus Clonus, Oebalus Arcas.*

Apparet eum, qui haec scripsit, cogitasse de proelio Amazonum: quod Parthicis Trajani an inseri potuerit tanquam episodium nescio: inscribuntur certe hi versus: Trajani imperatoris de bello Parthico versus decori. Sequuntur alii κόμματος ejusdem:

Almo, Theon, Thyrsis orti sub colle Pelori **)
Semine disparili, Laurente, Lacone, Sabino:
Vite Sabina ***), *Lacon sulco, sue cognita Laurens;*
Almo puer pubesque Theon et Thyrsis ephebus;
Thyrsis oves, vitulos Theon egerat, Almo capellas;
Canna Almo, Thyrsis stipula, Theon ore melodes.

Et hi:

Nisa rosas, Glauce violas, at lilia Nais;
Nais amat Thyrsin, Glauce Almona, Nisa Theonem.

Multo meliores sunt in eodem, ni fallor, codice sequentes versus, ex memorialium versuum genere, quod post Ausonium frequentabatur.

De EPTA diebus primordii mundi.

Primus in orbe dies lucis primordia sumpsit.
Alter splendifluis caelum firmavit in oris.
Tertius undivagum mare dat cum germine terrae.
Quartus habet Phoebum lunamque et sidera caeli;
Quintus plumigeras volucres piscesque natantes;
Sextus quadrupedes reptans [sic] hominesque sagaces.
Septimus est domino requies his rite peractis.

Unde voces Splendifluus et Undivagus Lexicis inferri possunt. Sequuntur hi:

---

*) Cod. Aepicli sive Aepuli. Quod etiam aliter corrigas licet. Idem cod. in carmine, quod inepte Petronio tribuunt, Anth. III, 253, v. 13. p. 680. Burm.: Guttula pro Guttura.

**) Cod. polori.

***) Cod. utrobique Sabine.

De X. plagis Aegypti.

Prima plaga [*sic*] *Aegypti lymphas in sanguine vertit.*
Altera ranarum crepitum tabemque creavit.
Tertia mordaces culices de pulvere duxit.
Quarta dedit muscas facie morsuque pavendas.
Quinta gravi peste) pereunt animalia cuncta;*
Sextaque turgentes vesicas vulnere gignit.
Septima fulmineum murmur cum grandine vibrat.
Octava frugibus noctuas frondique locustas;
*Nona parit **) piceas tactu palpante tenebras.*
Ultima, quae decima est, prolis primordia truncat.

Iisdem saeculis comoedias facere amabant heroicis versibus satis inficetas, quarum idem codex specimen exhibet: dialogum inter Terentium et delusorem, i. e. obtrectatorem eius, rustice poetae illudentem. De quo Tibi pluribus narrarem, nisi finis deesset: mores enim et studia eorum temporum in his etiam cernuntur. Jam igitur nosti quid agitem. Reliquum est ut novum Tibi honorem ex animo gratuler et de rerum Tuarum exoptato successu me sincere laetari significem. Vale et, quod facis, me amare perge. Dedi Parisiis, a. d. X Id. Jan. MDCCCXXXIII.

*) Voluit Peste gravi quinta.
**) Cod. patet.

